

DIPTERA SCANDINAVIÆ

DISPOSITA ET DESCRIPTA.

Auctore

PH. D. RE JOHANNE WILHELMO ZETTERSTEDT

AD UNIVERSITATEM LUNDENSEM BOTAN. ET OECON. PRACT.
PROFESS. REG. ET ORD., UNIVERSITATIS H. T. QUOQUE
RECTORE; EQUITE AURATO REG. ORDINIS DE WASA; REG.
ACAD. SCIENT. HOLM., SOCIET. ENTOMOL. PARIS., NATUR.
CURIOS. LIPS., SOCIET. CUVER. PARIS., SCIENTIAR. LITTE-
RARUMQUE ELEGANT. GOTHOB., PHYSIOGRAPH. LUND.,
CULTURÆ BOMBYCINÆ SUECANÆ HOLM., ENTOM. SCANDINAV.
HAFNIÆ., ET OECON. MALMOG., SODALI; REG. SOCIET. OECON-
NOM. BOTN. OCCIDENTALIS, SOCIETAT. HORTULANÆ GOTHO-
BURGENSIS ET SOC. PRO FAUNA ET FLORA FENNICA
HELSINGFORSIÆ, MEMBRO HONORIFICO; ATQUE
SOCIET. ENTOM. STETINI
CORRESPONDENTE.

154. — 185.

TOMUS SEXTUS.

Antelides — Geomyzides

LUNDÆ,

EX OFFICINA LUNDBERGIANA,
SUNTIBUS REGIIS.

1847.

(2163 - 2580)

Hab. in Uplandia ad Nacka prope Holmiam a beato Prof. *B. F. Fries* mense Maji 1834 inventa & ad me pro describenda benevole communicata.

♀ *Lonchæa tarsata* hujus operis p. 2352 n:o 7 valde affinis & similis, sed paullo minor, & seta mystacina perspicua, antennis brevioribus, alis hyalinis, nec albidis, &c. distincta. Oculi nudi, in fronte anguste, nec late, & paralleliter remoti. Frons nigro-cærulescens, nitida, breviter & parce pubescens, setis verticis paucis. Epistoma infra oculos parum descendens, nigrum, lenissime cinereo-micans. Partes oris paullo exsertæ, nigræ, pubescentes, palporum articulo ultimo rotundato. Thorax & abdomen lævia, cærulescentia, nitida, parum pilosula, setis scutelli & thoracis postici distinctioribus. Alæ abdomine paullo longiores. Halteres nigri. Pedes atrii, metatarsis testaceis l. flavidis; pilosuli, sed non spinulosi.

Famil. 34. GEOMYZIDES.

181. GEOMYZA Fall.

Corpus minutum, oblongum, subnitidum, interdum opacum, glabriculum, setis in vertice, thoracis lateribus scutellique margine distinctis; molle. Caput rotundatum. Frons latiuscula posterius sensim latior, antice non prominula. Epistoma infra oculos haud descendens, subimpressum, seta mystacina utrinque unica distincta. Antennæ breves, deflexæ, articulo ultimo ovato l. ovali, basi seta dorsali breviter plumata (in *G. marginella* n:o 6, *socculata* n:o 9, *ungvicella* n:o 4, &c., pubescente l. nudiuscula). Oculi majusculi, rotundi, nudi. Scutellum margine apicali bisetosum. Abdomen elongatum, evidenter 6-annulatum. Alæ elongatæ, subangustatæ, parallelæ, rectæ.

Nervi longitudinales: omnes recti, integri & paralleli, horum 2: dus longissimus, 3: tius in ipso apice excurrens, 6: tus abbreviatus. Nervus auxiliaris brevissimus, simplex. Nervi transversales perpendiculares, recti, subappropinquantes, saltem non longe remoti, horum ordinarius paullulum ante medium aerae insertus, medius perspicue pone apicem auxiliaris ductus. Segmentum costae 1: imum circiter 6: tam partem totius costae attingens, 2: dum 1: mo fere quintuplo longius, 3: tium 2: do sextuplo brevius, 4: tum 3: tio fere dimidio vix duplo longius; segmentum nervi longitudinalis 4: ti 3: tium seu ultimum 2: do fere dimidio longius. Costa nuda. Squamæ rudimentariæ. Halteres nudi. Pedes simplices, parum setulosi. *Color* pallidus aut obscurus. Alæ sæpe maculatim pictæ. *Motu* agilis. *Habitatio* in graminosis libenter locis uliginosis; imagines sæpe versantur in plantarum foliis, quorum succum roridum amant. *Differentia sexus; mas:* abdomine angustiore, leniter subclavato, ano obtuso; *femina:* ano acutiore. *Typus generis: G. combinata.* Ab *Opomyza* ore mystaceo nec nudo, a *Notiphila* & *Ephydra* epistomate retuso nec convexo, a *Piophila* seta antennarum plumata l. pubescente nec nuda, & ab *Agromyza* & *Phytomyza* nervulo transverso ordinario propius ad marginem alæ retracto, mox dignoscitur *Geomyza*. *Anthophilina* (gen. 195) adhuc propius accedit, sed antennarum articulo ultimo non orbiculato & seta non nuda distinguitur. A *Drosophila* alis angustioribus & nervo auxiliari breviori, 2: do vero longitudinali plerumque longiori, discrepat.

A. thorace pallido.

1 *combinata* Linn.? Fall. (var. a. b. c. — *Musca* Linn. — *Tephritis* Fabr. *Opomyza* Meig. exclus. syn. *Musca germinationis* Schrank, quod ad *Opomyzam Germinationis* mihi pertinet) ♂♀. 2 *angustipennis* Stæg. (*Opomyza* eadem Stæg.) ♂♀. 3 *consobrina* Zett. Ins. Lapp. ♂♀. 4 *ungvicella* Zett. Ins. Lapp. (*Sapromyza* eadem Zett. l. c.) ♂♀.

B. thorace cinerascente vel obscuro.

- 5 *tripunctata* Fall. (var. a. b. — *Opomyza* Meig.) ♂♀.
 6 *marginella* Fall. (*Opomyza* Meig.) ♂♀. 7 *Unipunctum* Zett. n. sp. ♂♀. 8 *terminalis* Zett. n. sp. ♂♀. 9 *socculata* Stenh.

Geomyza.

A. thorace pallido.

1. *G. combinata*: rufo-testacea, capite pedibusque flavis; alis hyalinis, nervis transversis maculaque apicis fuscis; abdomine nigro, basi pallescente. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ — $1\frac{1}{2}$ lin.).

Var. a. ♂♀. alis hyalinis, nervis transversis, apiceque dimidiatim, fuscis.

Fall. *Geomyzid.* 2. 1. ♂♀. Zett. *Ins. Lapp.* 773. 1. ♂♀. *Musca* Linn. *Syst. Nat.* 2. 997. 114? Fabr. *Ent. Syst.* 4. 352. 163. *Tephritis* Fabr. *Antl.* 317. 2. *Opomyza* Meig. *Dipt.* 6. 109. 18. ♂♀. (exclus. syn. *Musca germinationis* Schrank, quæ ad *Opomyzam Germinationis* nob. pertinet). T. 59. f. 23. ♀. — Macq. *Buff.* 2. 558. 12.

Var. b. *apicalis* ♂♀. alis hyalinis, nervis transversis, apiceque toto, fuscis.

Opomyza apicalis Meig. *Dipt.* 6. 109. 19. ♂♀.

Var. c. *venusta* ♂♀. alis hyalinis, nervo transverso ordinario apiceque fuscis.

Opomyza venusta Meig. *Dipt.* 6. 110. 20. ♀. Macq. *Buff.* 2. 558. 13. ♀. — *Tephritis maculata* Germar. in *Ahrensii Fn. Ins. Europ.* fasc. 3. tab. 22. ♂.

Hab. hæc omnes varietates simul in graminosis per hortos, prata & pascua Scandinaviæ præsertim meridionalis & mediæ, Jul. Aug. Sept. sat vulgaris; in copula aliquoties etiam deprehensa; scilicet in Scania ad Lund, Abusa, Björnstorp, Silfåkra, Lindholmen, Tranås, Esperröd, Widtsköfle &c., frequens; in Smolandia ad Skärsjö, D. *Ljungh*; in Ostrogothia ad Gusum, Wadstena &c., non parce; in Westrogothia ad Gothoburgum; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in provinciis magis borealibus rarissime; in Gottlandiæ pratis ad Öja & Sanda haud raro; in Dania passim, D. *Stæger*. (E Finlandia a D. *Sahlberg*, & e Stetino 8 Jun. 1812 capta var. b. a D. *Dahlbom*, communicata).

♂♀. Angusta cylindrica præsertim ♂. Rufo- l. flavo-testacea, subnitida, setis ordinariis nigris. Caput flavum, epistomate, proboscide palpisque albidis. Antennæ sessiles rotundatæ flavæ, seta sat distincte plumata nigra. Seta mystacina utraque una distincta infra & juxta quam aliquot exiguæ; omnes obscuræ. Oculi in viva ferruginei æneo-micantes. Abdomen nigrum l. piceum, basi latius l. angustius pallidum, apice puberulum, in ♀ plerumque rufum nigro- l. piceo-fasciatum. Alæ angustæ, albu-hyalinæ, nervis longitudinalibus pallidis, auxiliari obscuro. Var. a.: nervis transversis medio leniter, ordinario magis perspicue, maculaque apicis subquadrata a costa plerumque paullo infra nervum longit. 3:tium, sed non ad 4:tum extensa, fuscis; var. b.: nervis transversis ut in var. a., macula apicis fusca majori infra nervum long. 4:tum extensa totum apicem alæ implente; var. c.: nervis transversis medio immaculato, ordinario leniter, maculaque apicis minori non ultra nervum long. 3:tium extensa, fuscis; in hac varietate c. color thoracis intensius rufus, subcinerascens & alarum costa basi per totum nervum auxillarem evidentius obscura. Halteres albi. Pedes pallide flavi, tarsi vix infuscatis. Femora antica tenuiter pilosa.

Obs. Linnè l. c. suam *Muscam combinatam* "thorace cinereo" describit, unde de identitate nostræ oritur dubium.

2. *G. angustipennis*: rufo-lesacea, capite pedibusque flavis; alis hyalinis, puncto apicis fusco; abdomine nigro, basi pallescente. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ fere $1\frac{1}{2}$ lin.).

Opomyza angustipennis Stæg. in litt.

Hab. in Scandinavia meridionali rarius; in Scania semel capta; e Dania a D. *Stæger* communicata.

♂♀. Priori simillima, & ut mihi videtur vix nisi alarum nervis transversis immaculatis, nec fuscitudine cinctis, diversa. Alæ etiam forte paullo angustiores quam in præcedente, puncto l. macula apicis fusca minore a costa tantum ad nervum longitudin. 3:tium extensa. Reliqua ut in *G. combinata*, a qua tamen auctoritate Nobilissimi *Stæger* ut distinctam speciem propono.

3. *G. consobrina*: rufa, capite pedibusque flavis; thoracis postico scutelloque cinerascenti rufis; alis hyalinis, nervis transversis maculaque apicis fuscis; abdomine nigro. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ — $1\frac{1}{2}$ lin.).

Opomyza consobrina Zett. Ins. Lapp. 762. 2. ♀.

Hab. in Svecia & Lapponia valde rara; in Smolandia ad villam Skårsjö uterque sexus deprehensus; in Lapponia Umensi ad Lycksele femina semel lecta; in Dania parce, D. *Stæger*.

♂♀. A *G. combinata*, cui proxime accedit, thoracis postico scutelloque intensius rufis cinereoque micantibus, ut & abdomine toto in utroque sexu nigro, nec basi pallido, differre videtur. Frons flava, vertex rufo. Antennæ flavæ, seta modice plumata (in specimine lapponico minus bene conservato pube-

scientia in antennarum seta parum perspicua), obscura. Epistoma & partes oris albida. Seta utrinque mystacina cum adjacentibus exiguis ut in *G. combinata*; (in specimine lapponico subdestrito setæ mystacinæ parum perspicuæ). Pectus jam rufum, jam flavum. Abdomen totum nigrum, nitidum, oviductu ♀ brevi, pallido. Alæ angustæ, sordide albido-hyalinæ, nervo auxiliari obscuriori. Ambo nervi transversî modice infuscati (unde ab *Opom. venusta* Meig. distinguitur). Macula apicis fusca plerumque majuscula totum apicem occupans, raro parva & dimidiata. Halteres albi. Pedes pallide flavi. Femora antica tenuiter pilosa.

4. *G. ungvicella*: flava, capite pedibusque pallidioribus, tarsorum articulo ultimo nigro; alis subhyalinis immaculatis; abdominis dorso in ♂ toto, in ♀ macula, fuscis. ♂♀. (Long. $\frac{3}{4}$ vix 1 lin.).

Sapromyza ungvicella Zell. Ins. Lapp. 753. 12. ♂♀.

Hab. in graminosis Lapponiæ Umenis passim; ad Lycksele, Umenas & Wilhelmina I—19 Jul. 1832 decem feminas & unicum marem inveni.

♂♀. Magnitudine paullo minore, colore corporis pallidiorè, seta antennarum nudiuscula, alis immaculatis & tarsorum apice atro, a præcedentibus mox distincta. Seta mystacina utrinque adest, unde ad *Geomyzam* nec ad *Sapromyzam* referenda. Tenera mollis. Caput pallidum. Antennæ rotundæ, flavæ, seta fusca. Oculi in viva virides, in mortua ferrugini. Thorax testaceus, in ♂ vittis 3 obscurioribus obsolete. Abdomen oblongum, ventre pallido, supra in ♂ nigricans, in ♀ disco fuscum. Alæ pallide hyalinæ, nervis transversis nonnihil magis approximatis quam in prioribus. Halteres pallidi. Pedes in utroque sexu simplices, flavi, tantum articulo ultimo tarsorum atro. — Affinis *G. soculata* infra n:o 9.

Obs. *Geomyza bipunctata* Fall. in genere *Piophilæ* querenda.

B. thorace cinerascente l. obscuro.

5. *G. tripunctata*: thorace scutelloque cinereis, capite, antennis pedibusque testaceis; alis hyalinis, nervis transversis maculaque apicis fuscis; abdomine nigro. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ — $1\frac{1}{2}$ lin.).

Fall. Geomyzid. 2. 2. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 774. 2. ♂♀. *Opomyza* Meig. Dipt. 6. 110. 21. ♂♀. Macq. Buff. 2. 558. 14.

Hab. in graminosis & Urticetis per Scandinaviam præsertim versus autumnum, mihi ab initio Julii usque ad incuntem Octobrem obvia, vulgaris, in copula etiam sæpe deprehensa, & e fungo putrido semel exclusa; occurrit nempe in Scania ad Lund, Kjeslinge, Råsten, Björnstorps, Esperöd &c., frequens; in Smolandia, D. *Ljungh*; in Ostrogothia ad Gusum, Wadstena, Fredensborg &c., non parce; in Westrogothia ad Gothoburgum; in Gottlandia ad Fardhem & Kjellunge; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Dalecarlia; in Jemtlandia boreali ad Mullfjellet rarius; in Lapponia rarissime; in Dania passim, D. *Stæger*. (E Finlandia a D. *Sahlberg* missa. Ad Gryphiam, Trawemündiam, Hamburgum & Berolinum (ad Moabite) a D. *Dahlbom* lecta).

♂♀. Frons flava. Antennæ flavæ, seta modice plumata, nigra. Epistoma & instrumenta cibaria flavo-alba. Oculi ferruginei, in viva æneo-micantes. Thorax fusco-cinereus, supra parum nitidus. Scutellum concolor, raro apice rufescens. Abdomen nigrum, nitidum. Alæ nonnihil latiores quam in *G. combinata*, cinereo-hyalinæ, nervis subobscuris; basi leniter infuscata. Nervi transversus fuscetudine late cincti. Macula apicalis fusca superius dimidium apicis occupans ad nervum longitudinalem tertium extensa, ut in *G. combinata* var. a. Halteres albi.

Pedes flavi, coxis, anticis albidis. Femora antica in ♂ subcrassiora, in utroque sexu pilosula. Tarsi rarius leniter subinfuscati.

Var. b. thoracis limbo antico rufescente; de cetero var. a. similima. Ad Lund in Paradislyckan & ad Björnstorp Scaniae mense Septemb. a D. *Dahlbom* & me inventa.

6. *G. marginella*: thorace scutelloque cinereis, fronte, antennis pedibusque testaceis; vertice obscuro; epistomate albedo; femoribus anticis fuscis; abdomine nigro; alis nigricantibus, vitta media maculisque duabus versus apicem albis. ♂♀. (Long. circiter $\frac{3}{4}$ lin.).

Fall. *Geomyz.* 3. 5. ♂♀. Zell. Ins. Lapp. 774. 3. ♂♀. *Opomyza* Meig. Dipt. 6. 104. 6. Macq. Buff. 2. 556. 6.

Hab. in graminosis & plantis humilibus sæpe in nuda terra, interdum in Pinetis, per pascua arida & arenosa imprimis Scandinaviae meridionalis, Jul. Aug. passim; scilicet in Scania ad Lund, Sjöfåkra, Esperöd &c., frequens; in Smolandia, D. *Ljungh*; in Ostrogothia ad Lärketorp parce; deinde versus septentrionem tantum valde rara occurrit; e Dania a D. *Stæger* missa. (Ad Moabite & Jungfern-Heide prope Berolinum 7—12 Jul. 1842 a D. *Dahlbom* lecta mecumque communicata).

♂♀. Per picturam alarum ab aliis sui generis abunde dignota. Prioribus paullo brevior, sed robustior, subovata. Opaca. Frons testacea, vertice cinereo. Orbita oculorum albida. Antennae breviter oblongae, testaceae, seta breviter puberula, fusca. Epistoma & genae albida, seta mystacina nigra. Partes oris pallidae. Thorax & scutellum cinerea, ille lineolis 2 fuscis sæpe obsoletis. Pleurae etiam in bene conservatis dilute brunneo-lineatae. Abdomen nigrum, subnitidum, apice puberulum, ano in ♂ subrotundato inflexo cinerascente, in ♀ obtuso. Alae modice angustae, nigricantes l. saturate fuscae, plaga cuneiformi

fere a basi alæ ad nervum transvers. ordinarium extensa & inter nervos longitudinales 3 & 5 locata, maculaque pone nervum transv. ordinarium majuscula per nervum longitud. 4: tum secata, albo-hyalinis. Costa vaga tenuissime setulosa. Halteres albi. Pedes flavo-testacei, tenuiter pilosuli, femoribus anticis nigricantibus, præsertim in ♂ subincrassatis. Tarsi antici vel toti l. saltem metatarso nigricantes.

7. *G. Unipunctum*: thorace scutelloque griseis, fronte, antennis pedibusque flavo-testaceis; epistomate albidus; abdomine nigro; alis cinereo-hyalinis, puncto apicis nigro. ♂♀. (Long. vix 1 lin.).

Hab. in Svecia boreali valde rara, scilicet in Dalecarliæ alpibus a D. Prof. *Boheman* inventa; in Helsingia ad Arbrå 24 Aug. 1810 a me quoque capta.

♂♀. Alis totis hyalinis, puncto tantum apicali nigro, ab omni-bus facile dignoscenda. Parva angusta opaca. Frons flavida. Antennæ parvæ, rotundatæ, flavæ, seta sat longe & distincte plumata, obscura. Epistoma breve, flavo-albidum. Seta mystacina utrinque unica, at setulæ oris plures exiguæ. Proboscis flava. Oculi mediocres, rotundi, rufi. Thorax læte griseus, linea dorsali dilute brunnea obsoleta. Abdomen nigricans puberulum subnitens. Alæ modice angustæ, cinereo-hyalinæ immaculatæ, puncto tantum in apice nervi longitudinalis 3:tii parvo rotundato nigro. Nervus auxiliaris valde brevis, cujus apici opponitur nervulus transversus medius. Nervus transversus ordinarius a medio modice distans, a margine interiori sat longe remotus, in medio alæ situs. Costa nuda, basi tantum brevissime puberula. Halteres pallidi. Pedes mediocres, flavi, tarsorum articulo ultimo saturatiore.

8. *G. terminalis*: nigro-fusca, fronte brunnea; antennis pedibusque flavis; epistomate albidus; abdomine ni-

gro; alis cinereo-hyalinis; macula apicis magna fusca. ♀.
(Long. $\frac{3}{4}$ lin.).

Hab. in Scania rarissime; ad prædium Björnstorp prope Lund d. 26 Jun. 1838 specimen descriptum ab oculatissimo D. *Dahlbom* inventum.

♂♀. Potius forte *Geomyza* quam *Diastata* species, pictura alarum a prioribus diversa. Statura præcedentis, fere paullo minor, colore alio. Subnitens. Frons brunnea, antice dilutior, postice setosa. Antennæ parvæ ovatæ flavæ, seta fusca breviter plumata. Epistoma breve, flavum, orbita oculorum alba. Seta mystacina utrinque unica. Oculi majusculi. Thorax & scutellum nigro-brunnea. Abdomen nigrum. Alæ angustæ, cinereo-hyalinæ, macula terminali fusca magna totum apicem alæ occupante. Nervi transversi modice remoti, horum ordinarius ad marginem alæ interiorem retractus, leniter infuscatus, medius paullo pone nervum auxiliarem omnium brevissimum ductus. Pedes mediocres flavi.

9. *G. socculata*: obscure cinerea, epistoma tibiide frontis antico, antennis pedibusque flavis, tarsorum articulo ultimo atro; abdomine nigro; alis cinereo-hyalinis, immaculatis. ♂. (Long. $\frac{3}{4}$ vix 1 lin.).

Stenhamm. in litteris d. 3 April. 1847.

Hab. in Ostrogothia ad Håradshammar forte rarissime, mihi in unico exemplo ab amicissimo & oculatissimo Doct. *Stenhammar* nuperrime communicata.

♂. Magnitudo, statura, formatio partium & tarsorum pictura omnino ut in *G. ungvicella* n:o 4, cui proxime accedit, sed verticis, thoracis abdominisque colore obscuro nimis recedit; locus etiam natalis ambabus alius. Nitens. Vertex & occiput cinereo-nigra. Frons antice indeterminate pallida. Antennæ rotundatæ, pallide flavæ, seta nudiuscula, fusca. Facies minime prominens. Epistoma infra oculos non descendens, albidum,

seta mystacina utrinque unica sat distincta. Partes oris retractæ, flavæ. Genæ brevissimæ. Oculi magni rotundi. Thorax & scutellum tota cinereo-nigra. Abdomen angustum, subcylindricum, nigrum, ventre saltem basi anguste rufescente. Alæ cinereo-hyalinæ, immaculatæ, nervis nonnihil minus approximatis quam in *G. ungvicella*. Halteres albidii. Pedes cum coxis toti pallide flavi, articulo tarsorum ultimo tantum nigro. Femora antica reliquis paullo validiora.

182. DIASTATA Meig.

Corpus minutum, oblongum, opacum, glabriculum, setis in vertice, thoracis lateribus scutellique margine distinctis; molle. Caput rotundatum, subtransversum. Frons latissima præsertim posterius, antice minime prominula. Epistoma latum, infra oculos parum descendens, subimpressum, seta mystacina utrinque unica distincta. Antennæ breviusculæ, deflexæ, articulo ultimo compresso ovato l. ovali subotuso, basi seta dorsali breviter, sed sat dense plumata. Oculi majusculi, rotundi, nudi. Scutellum margine 4-setosum. Abdomen elongatum, segmentis 5 distinctis. Alæ elongatæ, modice angustatæ, parallelæ, rectæ, hyalinæ, in nostris speciebus saltem ad nervum transversum ordinarium sæpissime infuscatæ. Nervi ut in *Geomyza* directi, at transversi paullo magis remoti, horum nempe ordinarius fere in medio alæ & aræ ultimæ insertus, medius vero nonnihil magis ad basin alæ retractus apicique auxiliaris oppositus. Costa subnuda raro ciliata. Squamæ rudimentariæ. Halteres nudi. Pedes simplices, parum setulosi. Color cinerascens l. griseus. *Motus & habitatio* ut in *Geomyza*. *Differentia sexus*; *mas*: abdomine angustiore, leniter subclavato, ano obtuso; *femina*: ano acutiore. *Typus generis*: *Diastata nebulosa*. (A *Geomyza*, cui valde accedit, vix nisi nervis transver-

sis nonnulli magis remotis discernitur *Diastata*. Hæc vero nota interdum etiam vacillat, unde species *Geomyza* & *Diastata* sæpe ægre distinguuntur, & forte sub uno tantum genere comprehendi debent).

1. *D. nebulosa*: cinerea, fronte, antennis pedibusque testaceis; epistomate albido; abdominis segmentis basi obscuris; alis fuscis; disco maculis duabus nigricantibus totidemque albis. ♂♀. (Long. circiter $1\frac{1}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 6. 99. 12. forte? — Macq. Buff. 2. 55L. 9? — *Geomyza nebulosa* Fall. Geomyzid. 3. 4. ♂♀. genuina. — Zett. Ins. Lapp. 771. 4. ♂♀. — An quoque *Diastata ornata* Meig. l. c. 98. 11. & Macq. l. c. 553. 8? — *Geom. obscurella* Zett. Ins. Lapp. ex parte (specimen nempe Nordlandicum ad Finkrog).

Hab. in pratis paludosis; per Scandinaviam a medio mensis Maji usque ad finem Augusti mihi passim obvia, in copula quoque deprehensa; scilicet in Scania ad Silfåkra, Lindholmen, Tranås, Esperöd &c.; haud raro; in Smolandia, mus. *Ljunghii*; in Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg*, & ad Lärketorp, ipse; in Gottlandia ad Rhone parce; in Helsingia ad diversorium Kårböle; in Bottnia boreali ad Karungi semel; in Lapponia Tornensi rarissime; in infer-alpinis Nordlandiæ Norwegicæ ad diversorium Finkrog quoque rarissime. (E Finlandia a Prof. *Sahlberg*; & ex Austria a D. *Andersch* communicata, Mus. *Fallèni*).

♂♀. Opaca. Frons lutea, vertice sat fortiter setoso. Antennæ luteæ, articulo ultimo præsertim versus apicem sæpe fuscescente, seta nigricante, in medio evidenter licet non longe plumata. Epistoma flavido-albidum. Prælabrum plerumque prominulum, Palpi pallidi. Proboscis fusca. Seta mystacina utrinque

unica distincta nigra, sub qua setulæ plures valde exigue. Thorax latitudine capitis, sæpe obscurus, sed in illæsis cinerascens, lineolis 2 dorsalibus fuscis, interdum obsolete. Pleuræ glaucescentes. Abdomen plerumque (in detritis) nigricans, subnitens, sed in bene conservatis brunneum, segmentorum margine apicali canescente. Segmenta abdominis 5 distincta, sed in ♀ nuper capta 6 numeravi, quorum primum & ultimum minora. Alæ fuscæ; in disco longitudinaliter maculæ 4 subquadratæ, quarum 2 nigricantes nervos transversos transeunt ad nervos longitudinales 3 & 5 extensæ, & 2 albo-hyalinæ cum nigricantibus ita alternantes, ut una inter maculas nigras & altera paullo longior immediate pone maculam posteriorem nigram sint sitæ. Costa basi distincte sed breviter, pone apicem nervi auxiliaris parce & tenuissime setulosa. Hæ setulæ facile deteruntur, ita ut costa, plerumque nuda appareat. Alæ etiam basi obscuræ. Halteres flavo-albidi. Pedes l. lutei l. testacei, femoribus præsertim anticis interdum fuscioribus. Coxæ cinerascetes. Tarsorum articulus ultimus obscurus.

Obs. Meigen & Macqart l. c. antennas *Diasl. nebulosæ* "basi nigras" describunt; in nostris autem speciminibus iisque pluribus, inter quæ etiam Falleniana typica deprehenduntur, antennæ saltem basi semper flavæ, versus apicem vero interdum fuscescentes inveniuntur. *Diasl. ornata* Meig. igitur *D. nebulosæ* Fall. magis accedere videtur.

2. *D. unipunctata*: cinerea, fronte, antennis pedibusque obscure testaceis; epistomate albedo; abdomine nigro; alis cinereo-hyalinis, macula basali, nervoque transverso ordinario late, fuscis. ♂♀. (Long. circiter 1¼ lin.).

Stenhamm. in litteris.

Hab. in Scandinavia meridionali & media ab ineunte Junio usque ad finem Augusti minus frequens; scilicet in Scania ad Esperöd (in paroecia Tranås) utrumque sexum mense Julio 1820 inveni, deinde ad Silfåkra specimina quoque deprehendi; in Ostrogothia ad Gusum, *D.*

D. Stenhammar & *Wahlberg*; e Dania femina in unico individuo a *D. Stæger* missa.

♂♀. Priori proxima & similis, sed antennis pedibusque saturatius luteis, abdomine nigro immaculato, ut & alarum tantum nervo transverso ordinario infuscato, vere diversa. Caput ut in precedente constructum & setosum. Frons lutea. Antennae luteae, articulo ultimo saepe fuscescente; seta ut in *D. nebulosa* breviter plumata. Thorax & scutellum cinereo-grisea. Pleurae glaucescentes. Abdomen nigrum, subnitens; segmentis 5 distinctis. Alae sordide hyalinae, macula basali ad nervum auxiliarem fusca. Nervus transversus ordinarius fuscedine late & distincte pictus, qui fuscedo paullo supra nervum transversum & fere ad nervum longitudinalem 3tium extenditur. Nervus transversus medius immaculatus, at costalis niger. Costa ut in priori tenuissime setulosa. Halteres albi. Pedes ferrugineo-fusci, femoribus saepe obscurioribus. Coxae cinerascentes.

Obs. Sub nomine: *Geomyza maculipennis* exempla inter amicos entomologicos olim divulgavi.

3. *D. Punctum*: grisea, fronte antennarumque obscurarum basi luteis; epistomate albido; vertice fusco-bimaculato; abdomine nigro, basi macula flavida; pedibus pallide flavis; alis fuscis, plaga posteriori hyalina. ♂♀ (Long. circiter 1 lin.).

Meig. Dipt. 6. 98. 10. Macq. Buff. 2. 553. 7. (e *Meigen* ut videtur transcripta).

Hab. in Dania; ex Hafnia a Nobiliss. *Stæger* in tribus exemplis mecum benigne communicata.

♂♀. Antennis longiusculis obscuris, abdominis basi lutescente apiceque albo, ut & pictura alarum, ab aliis abunde dignota. Frons lutea, vertice maculis 2 coherentibus obscuris. Antennae longiusculae (non vero apicem epistomatis attingentes), nigro-brunnæ, basi lutescentes, seta pubescente obscura. Epi-

stoma flavo-album. Thorax griseus, lineis dorsalibus 4 brunneis, horum lateralibus obsoletis. Calli humerales pallescentes. Pleuræ glaucescentes. Scutellum griseum. Abdomen i ♀ subdepressum, in utroque sexu nigricans subnitens, basi macula lutescente vix ad marginem apicalem segmenti 2:di extensa, interdum obsoleta. Anus puncto albo. Alæ fuscæ, plaga pone medium disci (h. e. pone nervum transversum ordinarium) a nervo 3:tio longitudinali ad marginem interiorem dilatata, albedo-hyalina. Costa nuda. Pedes toti cum coxis pallide flavi.

4. *D. costata*: cinerea, fronte, antennis pedibusque flavis; epistomate albido; abdomine nigro; alis cinereo-hyalinis, macula baseos ad costam fusca, nervo costali atro. ♂♀. (Long. fere 1 lin.).

Meig. Dipt. 6. 96. 4. Macq. Buff. 2. 533. 4. *Drosophila fuscata* Fall. Geomyz. 7. 8. ♂♀. certe. — *Drosoph. marginella* Zett. Ins. Lapp. 777. 10. ♂♀.

Hab. in Scandinaviæ graminosis passim; a Junio ad Octobrem obvia; scilicet in Scania ad Lund, Björnstorp, Tranås, Esperöd, &c., ipse, ad Kjeslinge & Lackalänga, D. *Dahlbom*; in Smolandia, D. *Boheman* (1835); in Ostrogothia ad Gusum, Lärketorp, Wadstena &c., sat frequens; in Westrogothia ad Gothoburgum; in Gottlandia parce; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Lapponia Umensi ad Steusele, rarissime; in Nordlandia Norwegica ad Schiervœ semel; in Dania mense Aug. aliquoties a D. *Stæger* etiam lecta mihi que sub nomine descripto missa.

♂♀. Per antennarum setam sat distincte licet non longe plumatam, & alas præter maculam basalem juxta costam fuscam nervumque costalem atrum immaculatas, a prioribus, facile dignoscitur. Frons flava. Antennæ breviusculæ flavæ, articulo ultimo ovali, superne ciliato, seta mediocriter l. potius breviter,

plumata, obscura. Epistoma album. Proboscis testacea. Oculi magni, rotundi, in viva læte rufi l. ferruginei. Thorax & scutellum griseo-cinerea immaculata. Pleuræ glaucescentes. Abdomen nigrum; in ♂ subcylindricum, ano subclavato. Alæ cinereo-hyalinæ immaculatæ præter interstitium inter nervum auxiliarem & costam fuscum l. nigricans. Nervus costalis a basi ad apicem ater, nudus, basi tantum ciliatus. Setulæ costæ ad apicem nervi auxiliaris perspicuæ. Halteres albi. Pedes cum coxis pallide flavi, immaculati. — A *Drosophila costata* n:o 6, cui similis, nervis transversis magis remotis & antennarum seta brevius plumata distingvitur.

Var. b. ♂. simillima varietati a., sed costa tota a basi ad apicem alæ umbra fusca anguste tincla & nervo transverso ordinario fuscedine modice late cincto diversa. — *Diast. obscurella* Meig. valde similis videtur, sed antenæ in nostra totæ flavæ, nec apice brunneæ, & seta distinctius plumata. — Specimen descriptum ut "*Diast. costata* Meig. ♂" a D. Stæger e Dania missum.

4105. *D. obscurella*: griseo-cinerea, fronte, antennis pedibusque flavis; epistomate albido; abdomine nigro; alis cinereo-hyalinis, nervis transversis distincte infuscatis. ♂♀. (Long. vix 1 lin.).

Geomyza obscurella Fall. Geomyz. A. 6. ♂♀. typica. — Zett. Ins. Lapp. 774. 5. e parte. — (Vix *Diastata obscurella* Meig. Dipt. 6. 96. 3? quam sub forma variante *Diastatæ costatæ* potius quærere vellem).

Hab. in aridis & arenosis libenter ad litora maris & lacuum per Scandinaviam meridionalem & mediam mense Julio passim, in copula quoque visa; scilicet in Scaniæ litoribus marinis & arenosis ad Lomma, Malmogiam, Limhamn, Sandhammar, Esperöd, Rastunda &c., frequens; sed etiam in campis aridis Scaniæ interioris ex. gr. ad Lund, Fogelsång, Abusa, Kjeslinge &c. non raro; in Ble-

kingia ad Carlscrona, *C. Aspegren*; in Ölandia ad Gårds-lösa; in Smolandia, *D. Boheman*; in Ostrogothia ad Gussum, *D. Wahlberg*, & prope Wadstena ad ripas lacus Wetteren sat frequens, sæpe etiam in copula observata; supra hanc provinciam versus septentrionem vix nisi rarissime inventa; ex Hafnia a *D. Stæger* communicata (Ad Jungfern-Heide & Moabite prope Berolinum 6 Aug. 1842 a *D. Dahlbom* lecta. Ut "*Diasta obscurella* Macq." e' St: Sever Galliaë etiam a *D. Leon Dufour* par in copula junctum missum).

♂♀. In hoc genere fere minima. Pedibus pallidius flavis & nervis transversis distincte infuscatis a prioribus dignoscitur. Opaca. Frons flava, orbitis oculorum albidis. Antennæ modice breves, flavæ, seta nudiuscula, obscura. Epistoma albidum. Seta mystacina utrinque unica, nigra. Oculi rotundi, in viya purpurei, æneo-micantes. Thorax setosus & scutellum griseo-cinerea, immaculata. Abdomen 6-annulatum, dorso nigrum, subnitens, ano maris cinereo-cano. Alæ cinereo-hyalinæ, nervis obscuris; ima basi albescentes. Nervi transversî remotiusculi late infuscatis. Ad apicem nervi auxiliaris umbra fusca. Apex nervorum longitudinalium 2, 3 & 4 fuscæ etiam plerumque anguste cingitur. Costa ciliata. Halteres albi. Pedes pallide flavi, tarsorum articulo ultimo obscuro. Variat femoribus anticis leniter infuscatis.

183. DROSOPHILA Fall.

Corpus parvum aut minutum, oblongo-ovatum, parum l. raro nitidum, glabriculum, setis ordinariis in vertice, thoracis lateribus, scutellique margine quatuor, distinctis vestitum. Caput

rotundatum, subtransversum. Frons latissima præsertim posterius, antice non prominula. Epistoma latum, perpendiculare, infra oculos parum descendens, pro antennarum receptione biimpersum, seta mystacina utrinque unica distincta, sub qua setula quædam valde exigua. Genæ parum elongatæ. Antennæ incumbentes, breviusculæ, articulo ultimo oblongo-orato, basi seta dorsali longe & vage plumata, radiis nempe distantibus. Oculi rotundati nudi, in viva ferruginei l. plerumque late rubri, unicolores. Abdomen oblongo-ovatum, 6-annulatum. Alæ longiusculæ, modice latæ, parallelæ, rectæ, hyalinæ, immaculatæ, rari nervis transversis infuscatis, remotis, interdum approximatis. Nervus auxiliaris simplex vix 4: tam partem costæ attingens (in *D. annulata* n:o 2 longior). Costa nuda. Spinula parva adest. Squamæ rudimentariæ. Halteres nudi. Pedes mediocres, simplices, nudiusculi, præter femora antica subtus sæpe parce pilosula. *Color* niger, griseus, pallidus. *Motu* haud agilis. *Volatus* abruptus, insecto ante locum quieti aptum in aëre pendulo. *Incessus* lentus & gravis; attactæ vel inquietæ motu saltatorio aufugere sæpe tentant imagines. *Habitatio* in graminosis, locis umbrosis humidis, in fungis, succum exsillantem arborum avidè quærent; in fenestris etiam interdum tarde reptantes, larvæ in fungis non putrescentibus, fermentis &c. degunt. *Differentia sexus*; *mas*: ano obtuso; *femina*: ano acutiore. *Typus generis*: *Drosoph. funebris* n:o 17.

Conspectus Specierum cum Synonymis.

- A. Alarum nervi transversus approximatus aut subapproximatus, h. e. nervus transversus ordinarius distincte & tam longe ante medium aræ ultimæ insertus, ut segmentum nervi longitudinalis 4:ti secundum tertium (*) triplo aut saltem duplo brevius evadat.

*) quod per segmenta nervi longitudinalis 4:ti secundum & tertium intelligatur, conferatur nota sub *Ephydra* p. 1809 hujus operis.

*) thorace obscuro, h. e. cinerascete l. nigricante (in *Dr. obscura* n:o 4 obscure testaceo).

1 *variegata* Fall. ♂♀. 2 *annulata* Zett. (*Notiphila eadem* Fall. *Ephydra eadem* Meig.) ♂♀. 3 *albo-guttata* Wahlb. ♂♀. 4 *obscura* Fall. (an Meigeni eadem?) ♂♀. 5 *spurca* Zett. n. sp. ♂. 6 *cinerella* Fall. ♀. 7 *costata* Zett. Ins. Lapp. ♂♀.

**) thorace pallescente, ferrugineo aut testaceo (*Dr. obscura*: thorace obscure testaceo, in subdivisione priori sub n:o 4 quærenda).

† alarum nervis transversis infuscatis.

8 *transversa* Fall. Meig. (*D. phalerata* Meig. varietas hujus videtur) ♂♀ & var. b. læta ♀.

†† alarum nervis transversis non infuscatis.

9 *tristis* Fall. (an Meigeni eadem?) ♂♀. 10 *fuscimana* ♂. 11 *nigriventris* Zett. n. sp. ♂♀. 12 *approximata* Zett. n. sp. ♀. 13 *congesta* Zett. n. sp. ♂.

B. Alarum nervi transversi remoti aut subremoti, h. e. nervus transversus ordinarius aut in medio aut tantum paullo ante medium aræ ultimæ insertus, atque ita ductus, ut segmentum nervi longitudinalis 4:ti secundum tertio aut æque longum aut ad summum $1\frac{1}{2}$ brevius evadat.

α) thorace obscuro, h. e. cinerascete l. nigricante.

14 *glabra* Fall. ♂♀. 15 *Graminum* Fall. (var. a., b. *sordida*; c. *flavipennis* Zell. Ins. Lapp. — An etiam *D. incana* Meig.?) ♂♀ (*). 16 *griseola* Zell. n. sp. ♀. — (**).

β) thorace pallescente, h. e. rufo, testaceo aut flavo.

17 *funebri* Fabr. Fall. (*Musca cellaris* Linn., testante Meigen. — *Musca erythrophthalma* Panz.?) ♂♀. 18 *confusa* Stæg. (*Dr. fenestrarum* Meig. non Fall. — *Dr. funebri* var. ♂ Fall.) ♂♀. 19 *Histrio* Meig. 20 *picta* Stæg. ♀. 21 *Fenestrarum* Fall. (var. a. b. — *Dr. melanogaster* Meig. ♂. *Dr. virginea* Meig. ♀.) ♂♀. 22 *flava* Fall. ♂♀. 23 *pallida* Zell. (*Dr. graminum* var. d. Fall.) ♂.

Drosophila.

A. Alarum nervi transversi approximati aut subapproximati, h. e. nervus transversus ordinarius distincte ante medium aram ultimam insertus, ita ut segmentum nervi longitudinalis 4:ti secundum tertio triplo aut saltem duplo brevius evadat.

*) thorace obscuro, h. e. cinerascete l. nigricante (in *D. obscura* n:o 4 obscure testaceo).

1. *D. variegata*: cinerea, thorace lineis subquinis brunneis; capite albicante, fronte flava, macula verticis

*) *Drosophilam graminum* var. d. Fall. distinctam speciem putamus sub nomine: *D. pallida* n:o 23 infra inveniendam.

***) *Dr. fuscula* Fall. antennarum seta breviter plumata sub *Diastata costata* hujus operis p. 2539 n:o 4 quaerenda.

nigra; antennis testaceis; abdomine obscuro, maculis dorsalibus flavo-albis; pedibus pallidis, femoribus late tibiarumque annulis fuscis; alarum nervis transversis perspicue approximatis. ♂♀. (Long. circiter 1½ lin.).

Fall. Geomyzid. 5. 2. ♂♀. Meig. Dipt. 6. 82. 1. (e descriptione Falleni transcripta). — Macq. Buff. 2. 548. 1. ♂♀.

Hab. in graminosis, foliis fruticum, succo exstillante Quercus, fungis Populi tremulæ, &c., per Sveciam meridionalem & mediam, a medio Junii usque ad finem Augusti mihi passim obvia; scilicet in Scania ad Krageholm, Tranås, Esperöd (12—19 Aug. 1846, Profess. Wahlberg), parce; in Ostrogothia ad Gusum, idem Wahlberg, ad villam Lärketorp in paroecia Mjölby sæpe frequenter, ipse.

♂♀. Inter nostrates maxima. Opaca. Frons flava, macula verticis magna trigona nigra. Setæ verticis nigrae. Antennæ testaceæ, seta obscura pectinata, superne radiis 4—5. Epistoma albidum, carina media sæpe fusca. Seta utrinque mystacina nigra, sub qua setulæ plures exiguae. Prælabrum prominulum. Proboscis sæpe fusca. Oculi magni tota capitis latera implentes, in viva late rufi. Thorax cinereus, lineis 5 brunneis, quarum lateralibus minus regularibus, maculiformibus. Scutellum fuscum cano-maculatum. Abdomen ovatum nigro-fuscum, segmento 1:mo fascia interrupta albida, segmentis vero 2, 3 & 4 ad basin singuli in medio maculis semi-rotundis in viva albidis, in mortua plerumque flavis. Alæ cinereo-hyalinae immaculatæ. Nervus auxiliarius vix ad 4:tam partis costæ nudæ extensus. Segmentum costæ 2:dum 1:mo saltem duplo longius, 3:tium 2:do saltem duplo brevius. Nervi longitudinales: 3:tius in apice alæ desinit, 3:tius 4:tusque versus apicem leniter convergentes, 5:tus ad marginem extensus, 6:tus nullus 1. valde abbreviatus, 7:mus ad basin alæ fere ad marginem productus.

Nervi transversi perpendiculares, eximie approximati, obscuri, horum medius sat longe pone apicem auxiliaris ductus. Segmentum nervi 4:ti longitudinalis secundum tertio seu ultimo triplo & ultra brevius. Halteres pallidi. Pedes subnudi, mutici, pallide flavi, coxis anticis femoribusque omnibus a basi & fere ad apicem nigro-fuscis. Tibiæ omnes singulæ annulis 3 fuscis, quorum 1 ad basin, 1 in medio, & 1 ad apicem.

Var. b. ♀. tota pallida, signaturis verticis, thoracis, abdominis pedumque dilute brunneis; junior, nuper exclusa, in gramine ad Esperöd Scaniæ 28 Aug. semel a me inventa.

Obs. Sub nomine: "*Dros. maculata* Duf." e S:t Sever Gallie plura specimina & horum quædam e pupa cylindrica nuda ferruginea exclusa, nuper a Nobiliss. D. *Leon Dufour* obtinui, *D. variegata* affinia & subsimilia ejusque magnitudine; sed antennis longioribus, macula verticis nigra deficiente, thoracis dorso argenteo-micante immaculato, pectore scutelloque pallidis, hoc puncto utrinque nigricante, abdomine flavo, segmentis 1:mo immaculato, 2:do puncto utrinque nigricante, 3, 4 & 5 singulo maculis tribus subconfluentibus nigro-brunneis, aliis magis hyalinis, nervis transversis modice, nec eximie, approximatis, ut & pedibus pallide flavis immaculatis, abunde dignota. Nec talis in Scandinavia occurrit.

D. annulata: cinerea, thorace sublineato; epistomate albicante; antennis sulphureis, basi nigris; abdomine nigro, punctis lateralibus albis; pedibus pallidis, femoribus late tiliarumque annulis fuscis; alarum nervis transversis perspicue approximatis, auxiliari longiusculo. ♂♀. (Long. vix $\frac{3}{4}$ lin.).

Notiphila annulata Fall. Monogr. Act. Holm. 1813. p. 250. 3. ♂♀. vera, & Ejusdem Hydromyzid. Svec. 9. 3. ♂♀. *Ephydra eadem* Meig. Dipt. 6. 114. 1. Macq. Buff. 2. 536. 1 (e descriptione Meigeniana transcripta).

Hab. in succo distillante Populi, Betulæ, at imprimis Quercus, per Sveciam præsertim mediam mense Julio minus frequens, in copula etiam observata; scilicet in Ostrogothia in prato sylvatico Krogängen prope Wadstena, D. *Dahlbom* & ipse, ad Gusum, D. *Wahlberg*.

♂♀. Priori proxima, sed triplo minor & in multo recedit, atque antennæ tuberculatis insignis. Frons cinerea. Antennæ basi nigræ, articulo 2:do in corniculum superne extenso, 3:tio flavo, seta distincte plumata, concolore. Epistoma albedo-flavum, in medio carinatum, setulis oris exiguis. Oculi majusculi. Thorax opacus, cinereus, lineolis 3 ferrugineis l. fuscis, sæpe obsoletis. Abdomen ovatum, subdepressum, nigricans, subnitens, ad basin segmentorum utrinque puncto laterali minuto albo l. argenteo. Alæ cinereo-hyalinæ, nervis pallescentibus, ut in priori directis, at auxiliari longiori fere ad medium costæ extenso, cujus apici nervus transversus medius opponitur. Halteres pallidi. Pedes subnudi (præter femora antica subtus subtiliter pilosula), pallidi, femoribus a basi & fere ad apicem, tiliarum annulis 2, quorum uno basali altero apicali, tarsorumque articulo ultimo, obscure brunneis. Genua omnia & annulus angustus femorum posteriorum flava. Annulus femorum posticorum flavus interdum parum perspicuus. — An novum genus?

Obs. Sub nomine: "*Dros. cornigera*" etiam a D. Prof. *Wahlberg* hæc olim missa.

D. albo-gullata: nigra nitida, capite concolore, epistomate inferne thoracisque callis humeralibus punctoque utrinque subalari argenteo-niveis; antennæ basi rufescentibus; proboscide flava; pedibus pallidis; alis immaculatis, nervis transversis approximatis. ♂♀. (Long. vix $\frac{3}{4}$ lin.).

Wahlb. Act. Acad. Scient. Holm. 1838. p. 22. 11. ♂♀.

Hab. in Svecia meridionali & media valde rara; in Scania ad Esperöd in graminosis die 16 Septemb. 1818 feminam detegi; in Ostrogothia ad Ursäter prope Gusum in succo stillante *Quercus* die 21 Jun. 1837 a Cel. Prof. *Wahlberg* etiam deprehensa mihiq̄ amicissime communicata.

♂♀. Colore corporis nigro nitido, & epistomatis margine apicali thoracisque punctis humeralibus albis, ab aliis facile dignota. *Notiphila nigrina* p. 1887 quodammodo affinis & similis, *Drosoph. glabra* forma & magnitudine æqualis. Ovata. Frons modice lata, nigra, opaca, postice nitens. Antennæ breviusculæ, apice rotundatæ, basi rufescentes, articulo ultimo nigro-fusco, seta pectinata, radiis paucis. Epistoma infra oculos parum descendens, lenissime emarginatum, in medio obtuse carinatum, infra medium argenteo-niveum, superne sub antennis determinate nigrum. Setulæ mystacinæ in individuis a me visis exiguæ. Instrumenta cibaria retracta. Proboscis pallida. Palpi nigri. Genæ brevissimæ, pallidæ. Oculi maximi tota capitis latera occupantes. Thorax magnus, convexus, niger, nitidus, supra brevissime fusco-subpuberulus, maculis utrinque 2 lateralibus subrotundis argenteo-niveis, anteriori majori humerali, posteriori minuto punctiformi sub radice alarum. Scutellum nigrum. Abdomen ovatum subdepressum nigrum, nitidum. Alæ latiusculæ, hyalinæ, certo luminis situ iricolores, nervis pallidis, fere ut in prioribus directis, at transversis vix tam perspicue approximatis. Nervi: auxiliaris brevis simplex, transversus modice approximatus, horum medius mox pone apicem auxiliaris ductus, ordinarius a margine sat longe remotus. Segmentum nervi longitudinalis 4:ti secundum tertio seu ultimo 2½ brevius. Costa nuda & spinula nulla. Halteres clava alba. Pedes mutici flavi, femoribus anticis supra dilute fuscis, subtus pilosulis. Femora postica versus apicem interdum etiam dilute brunnea.

~~*D. obscura*~~ *obscura* fusca, capite concolore, epistomate cinerascente; antennis nigris, basi rufescentibus; abdomine nigricante; pedibus ferrugineis; alis subimmaculatis, nervis transversis modice approximatis. ♂♀. (Long. $\frac{1}{2}$ — $\frac{3}{4}$ lin.).

Fall. Geomyz. 6. 6. ♂♀. vera. — Meig. Dipt. 6. 85. 11? Macq. Buff. 2. 550. 7? Zett. Ins. Lapp. 776. 4. ♂♀.

Hab. in succo exsudante arborum Betulæ & Quercus, per Scandinaviam, a fine mensis Maji usque ad Augustum, passim; scilicet in Scania ad Lindholmen, Esperöd &c., minus frequens; in Ostrogothia ad Gusum, Wadstenå, Lärketorp &c., haud parce; in Westrogothia, beat. *Gyllenhal*; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; deinde vix nisi in betuletis ad Öfver-Torneå mihi obvia; e Dania a D. *Stæger* communicata.

♂♀. Corpore fusco, antennis parvis abdomineque nigricantibus, pedibus testaceis, alisque brunnedine lenissime tinctis, nervis transversis subapproximatis, in hac subdivisione dignoscitur.

Parva. Parum nitida. Frons obscura. Antennæ parvæ nigræ, articulis basalibus plerumque rufescentibus, seta undique & distincte plumata. Epistoma in illæsis cinerascens, in mortuis & detritis sæpe fuscum. Setulæ mystacinæ parvæ, sed perspicuæ. Oculi magni, rotundi. Thorax obscure fuscus, lineis dorsalibus 3 obscurioribus, in individuis non bene conservatis parum perspicuis; in junioribus plus minus fusco-testaceus. Scutellum fuscum. Abdomen ovatum, brunnescenti nigrum, subnitidum. Alæ latiusculæ, sordide hyalinæ, certo situ iricolores, nervis brunneis l. ferrugineis, ut in priori directis, at segmento nervi longitudinalis 4:ti secundo tertio tantum duplo brevior. Costa nuda; spinula minuta. Halteres albi. Pedes jam rufescentes, jam fusco-testacei, jam pallidiores, tarsis apice obscuris.

Obs. Meigen & (secundum illum) Macquart caput & thoracem hujus speciei "testacea" describunt; in nostris vero exemplis, iisque multis, hæ partes fuscæ vel obscure testaceæ deprehenduntur, unde synonyma dubia.

D. spurca nigricans, capite antennisque concoloribus; abdomine nigro; tarsis posticis obscure testaceis; alarum costa posteriorius infuscata, nervis transversis modice approximalis. ♂. (Long. $\frac{3}{4}$ lin.).

Hab. in Dania forte rarissime, mihi in Svecia non obvia, sed a D. Stæger sub nomine: "*Dros. tristis* Fall.", in unico specimine communicata.

♂. Valde similis *Dr. tristi* n:o 9. eademque pictura alarum gaudens, sed toto corpore obscuriore, nec thorace brunneo-testaceo, & pedibus nigris, nec flavis, tarsis posticis tantum ferrugineis, differt. Opaca. Caput nigricans, vertice setoso. Antennæ nigræ, seta mutilata. Epistoma infra oculos parum descendens; seta utrinque mystacina nigra. Os retractum. Oculi magni, rotundi. Thorax convexus nigricans 4: costis cinereus, setis lateralibus & posticis nigris. Scutellum concolor. Abdomen oblongo-ovatum, nigrum, nitidum. Ala cinereo-hyalina, costa a medio ad apicem alæ perspicue fusca, fuscedine ad nervum longitudinalem 3:tium descendente. Nervi transversii obscuri, horum medius apicis auxiliaris brevis oppositus. Segmentum nervi longitudinalis 4:ti secundum tertio circiter $1\frac{1}{4}$ brevius. Nervus costalis subnudus. Halteres albidii. Pedes nigricantes, tarsis posticis obscure testaceis l. obscure ferrugineis. Tarsi anteriores etiam subsufuscentes.

Obs. E Finlandia a D. Prof. Sahlberg obtinui specimen nostræ *D. spurcæ* magnopere simile, sed alarum fuscedo costalis ab apice nervi auxiliaris ad apicem nervi longitudinalis 3:di extensa & tantum interstitium nervi costalis & longitudinalis 3:di implens, ut & pedes toti nigro-piceii, tarsis posticis vix dilu-
tioribus, tandemque ni fallor, halteres obscuri, aliam omnino speciem produunt.

D. cinerella: cinerea, fronte antennisque lutescentibus, epistomate albescente; abdomine nigro; pedibus obscuris, tarsis flavis; alis cinereo-hyalinis, nervis transversis modice approximatis. ♀. (Long. circiter $\frac{1}{2}$ lin.).

Fall. Geomyz. 7. 9. ♀. verissima (secundum individuum typicum in museo Falleni asservatum). — Meig. Dipt. 6. 88. 19. (e descriptione Falleniana transcripta).

Hab. in graminosis Sveciæ meridionalis & mediæ rarissime; duo tantum specimina lustravi, unum in Scania ad Esperöd d. 20 Jul. 1820 captum, alterum in Ostrogothia ad Wadstena 28 Jul. 1824 a me inventum.

♀. Per thoracem cinereum immaculatum, frontem antenasque luteas, pedes nigricantes, tarsis tantum flavis, a præcedentibus optime dignoscitur. Pusilla, opaca. Frons in specimine (vetustiore) Scanico lutea, in Ostrogothico obscure lutea. Vertex setulosus. Antennæ parvæ, lutescentes, seta fusca pectinata, radiis superne 5—6. Epistoma infra oculos vix l. parum descendens, albo-micans l. canum, in medio subcarinatum, prælabro perspicue prominente cinereo. Setulæ mystacinæ perspicuæ. Partes oris retractæ, obscuræ. Genæ brevissimæ, albicantes. Oculi magni, rotundi. Thorax cinereus, ad latera & postice ut in prioribus setulosus. Scutellum concolor. Abdomen oblongo-ovatum, subdepressum, nudiusculum, nigrum, nitidum, apice subacutum. Alæ cinereo-hyalinæ, nervis fuscis, costali nigro. Nervi transversii modice approximati, horum ordinarius fere ante medium alæ insertus, a margine sat longe remotus, medius ad basin alæ retractus, minutus, apici nervi auxiliaris brevissime oppositus. Costa a basi ad exitum nervi auxiliaris ciliata, deinde nuda. Segmentum nervi longitudinalis 4:ti secundum tertio circiter $2\frac{1}{2}$ brevius. Halteres albi. Pedes nigricantes, tarsis omnibus pallide flavis. — Alarum nervus costalis paullo pone apicem alæ desinens ibique cum quarti longitudinalis apice conjunctus. Affinis *Notiphila*. ♂ deest.

nigricans, fronte concolore; epistomale albicante; antennis pedibusque flavis, horum anticis nigris coxis pallidis; alis hyalinis, nervis pallidis, costali crassiusculo atro, transversis modice approximatis. ♂♀. (Long. $\frac{3}{4}$ fere 1 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 776. 5. ♂♀.

Hab. in graminosis & fungis Betulæ albæ &c., per Sveciam mediam & borealem parcius, per Lapponiam passim frequens, ab ineunte Julio usque ad medium Septembris mihi obvia & in copula etiam deprehensa; scilicet in Scania boreali ad Widtskölle semel; in Smolandia ad Skärsjö rarissime, *Ijungh*; in Ostrogothia ad Gusum & Wadstena, rarius; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Lapponia Umensi non rara ex. gr. ad Åsele, Stöttingsfjellet, Tresunda, Wilhelmina & Umeuås, usque in alpes Brattiksfjellen ascendens; in Lapponia Toruensi parce, ad lacum Torneträsk procedens; in inferalpiis Nordlandiæ Norwegicæ tantum in monte subalpino Gamstind a me lecta.

♂♀: Thorace fronteque obscuris, antennis pedibusque flavis, anticis nigricantibus, ut & alarum nervo costali subcrasso atro, a prioribus facile dignoscenda. Oblonga, subopaca. Frons obscura, sæpe detrita nigra, ad latera & postice setis ordinariis vestita. Antennæ breves subrotundatæ, seta distincte plumata obscura. Epistoma breve, infra oculos haud descendens, subcarinatum, albidum, in detritis area media sæpe albo-flavum. Prælabrum occultum. Setulæ mystacinæ nigræ. Instrumenta ciliaria retracta, testacea. Genæ brevissimæ, albæ. Oculi majusculi rotundi ferruginei. Thorax & scutellum obscure cinerea l. nigricantia, setis ordinariis ornata. Abdomen oblongum, nigrum, nitens. Alæ elongatæ, subangustatæ, albo-hyalinæ, nervis tenuibus pallidis, 2 & 3 longitudinalibus versus apicem

obscurioribus & interdum leniter subinfuscatis. Nervus costalis crassiusculus nudus ater. Nervi transversi approximati, horum ordinarius longe a margine remotus, medius auxiliaris mediocriter longi apici oppositus. Segmentum nervi longitudinalis 4:ti secundum tertio circiter $2\frac{1}{2}$ brevius. Halteres albi. Pedes pallide flavi, antici brunneo-nigri, coxis anticis albo-flavis. — A *Diaata costata* p. 2539 n:o 4, cui similis, fronte obscura, antennarum seta longius plumata, alis basi immaculatis, nervis transversis minus remotis, nec non femoribus tibiisque anticis nigris, abunde dignoscitur. A *Dros. fuscimana* n:o 10 fronte thoraceque testaceis diversa.

** thorace rufescente, ferrugineo aut testaceo
(*Dr. obscura*: thorace obscure testaceo, in
subdivisione priori sub n:o 4 invenienda).

† alarum nervis transversis fuscetudine cinctis.

8. *D. transversa*: rufo-testacea, nitida, epistomate pedibusque pallidioribus; abdomine flavo, serie subquaduplici punctorum nigrorum; alarum nervis transversis subapproximatis, fuscetudine cinctis. ♂♀. (Long. $\frac{2}{3}$ —1 lin.).

Fall. Geomyz. 6. 5. ♂♀. Meig. Dipt. 6. 81. 5. Macq. Buff. 2. 549. 5. Zett. Ins. Lapp. 776. 3. ♂♀. *Drosoph. phalerata* Meig. Dipt. 6. 83. 3. T. 59. f. 3. varietas hujus videtur.

Hab. in graminosis (libenter locis umbrosis), fungis putridis, fenestris, &c., per prata, hortos, pascua & domos Scandinaviæ, ab initio Junii usque ad initium Octobris, sat vulgaris; nempe in Scania ad Lund, Paradislyckan, Abusa, Esperöd &c., frequens; in Smolandia ad Skär-sjö, collectio *Ljunghiana*; in Ostrogothia ad Gusum, Lärketorp; Wadstena, Medhamra, Frødensborg &c., minime parce; in Gottlandia ad Lummelund, Ahlskog, Westerby,

Thorsborg, Rhodæ, Gardæ, frequens; in Uplandia ad Holmiam D. *Wahlberg*; in Jemtlandia ad Faxelfven, Berge & Ålsen, passim; in Lapponiis: Umenis ad Nästansjö & Wilhelmina, Tornensi ad Wittangi (♀ sub cortice truncorum Pini sylvestris), rarius; in Dania, D. *Stæger* (qui etiam specimina sub nomine: "*Dr. phalerata* Meig." misit). (E Finlandia a D. *Sahlberg*, & a D. *Dahlbom* in Pinetis ad Neuenkirchen Germaniæ 20 Maji & 12 Sept. capta, necum quoque communicata).

♂♀. Pictura abdominis & alarum a reliquis statim dignoscitur. Setæ verticis thoracisque ordinariæ nigrae. Caput opacum. Frons rufo-ferruginea. Antennæ mediocres l. parvæ, flavæ, raro apice fuscæ, seta semper longe plumata, nigra. Epistoma albedo-flavum, setulis mystacinis obscuris. Prælabrum occultum. Instrumenta cibaria retracta, flava. Genæ breves. Oculi mediocres, rotundi, in viva miniati l. late rubi. Thorax convexus, rufo-ferrugineus, dorso breviter obscure puberulus. Scutellum concolor. Abdomen oblongo-oratum, subdepressum, nitidum, glabriculum, flavum, dorso serie quadruplici punctorum nigrorum (nempe 4 in singulo segmento), quorum media semper majora, perspicuiora, jam subrotundata, jam subtransversa, & lateralia (in segmentis 2, 3 & 4) minora subrotunda, sæpe libera, interdum cum mediis oppositis subconfluentia, raro omnino deficientia. In abdomine saltem ♀ annulos 6 distinctos præter analem numero. Alæ hyalinæ, præsertim versus costam omnium levissime brunedine diluta tinctæ. Nervi transversi modice approximati, infuscati, horum medius apici nervi auxiliaris brevis fere oppositus l. mox pone ejus apicem ductus. Segmentum nervi longitudinalis 4:ti secundum tertio 1] vix duplo brevius. Costa nuda. Halteres & pedes toti palide flavi. — Variat magnitudine; mares plerumque minores. Variat etiam colore plus minus saturate ferrugineo. Variat denique raro abdomine fere toto fusco.

Var. b. *læta*. ♀. toto corpore pallide flavo, abdomine immaculato, alarum nervis transversis solum infuscatis; forte tantum juvenilis, nam præter colorem pallidiorem in omnibus convenit cum variet. a., cum qua etiam inventa ad Lund in Paradislyckan & in Ostrogothia ad Fredensborg.

†† alarum nervis transversis non fuscedine cinctis.

9. *D. tristis*: brunneo-testacea, capite abdomineque obscurioribus; pedibus flavis; alarum costa posterior late infuscata, nervis transversis approximatis, segmento nervi longitudinalis 4:ti secundo tertio fere duplo breviori. ♂♀. (Long. fere $\frac{1}{4}$ lin.).

Fall. Geomyz. 7. 7. ♀. typica. — Meig. Dipt. 6. 86. 12? Macq. Buff. 2. 550. 8?

Hab. in Scania Sveciæ meridionalis valde rara; feminam in uliginosis ad Esperöd mense Augusto 1822 detegit Illustr. Fallèn, & utrumque sexum in succo exstillante Quercus ad idem Esperöd 3—10 Aug. 1824 ipse inveni; in Ostrogothia ad Gusum & in Uplandia ad Holmi- am etiam a Prof. Wahlberg deprehensa fuerit.

♂♀. Color corporis brunnescens & fuscedo alarum costalis postica speciem designant. Ipsissimum specimen, quod descripsit Fallèn jam ante oculos habeo, & illud cum nostris bene congruentibus comparavi. Parum nitida. Caput obscure testaceum. Antennæ minores, fuscae, seta distincte plumata. Seta mystacina nigra. Os retractum. Oculi majusculi rotundi. Thorax & scutellum obscure testacea. Abdomen ovale, in nostris individu- is totum nigricans, nitens. Alæ cinereo-hyalinæ, costa a medio ad apicem sat perspicue fusca, fuscedine ad nervum longitudinalem 3:tium dilatata. Nervi transversii obscuri, horum ordinarius sat longe a margine distans, medius fere apici auxiliaris brevis oppositus. Costa tantum basi subtiliter ciliata.

Halteres & pedes pallide flavi. — Valde affinis & similis *D. tristis* n:o 4, sed thorace forte nonnihil dilutiore, & alarum nervi costali postica perspicua diversa.

Obs: Meigen & Macqvart suam *D. tristis* "totam testaceam nitidam, abdominis apice solo nigro, & pedibus obscure flavis" describunt, unde synonyma eorum mihi dubia videntur.

Obs. Sub nomine: "*Dr. tristis* Fall." specimen masculum a Dania a *D. Stæger* obtinui, quod ad *Dr. spurcam* n:o 5 retuli,

D. fuscimana: flavo-testacea, epistomate albido; pedibus pallide flavis; abdomine nigro; thoracis linea dorsali pedibusque anticis fuscis; alis hyalinis, nervis: costali atro, transversis perspicue approximatis, segmento nervi longitudinalis 4:ti secundo tertio triplo breviori. ♂. (Long. vix $\frac{3}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 6. 87. 17? Zett. Ins. Lapp. 776. 6. ♂.

Hab. in Lapponia meridionali Umensj rarissime; scilicet in succo exsudante Betulæ albæ ad novaculum Nordans in paroecia Frederica d. 31 Jul. 1832 a *D. Dahlbom*, & in fungis ad novaculum Nästansjö in paroecia Wilhelmina d. 13 Jul. a me, cæpta. In Scandinavia meridionali non observata, quantum noverim.

♂. Parva, angusta, subopaca, testacea, setis ordinariis nigris. Antennæ breviusculæ, seta nigra. Epistoma flavo-album, seta utrinque mystacina nigra. Os retractum. Oculi majusculi, rotundi, in viva rufi. Thorax linea dorsali ferruginea subobsoleta. Abdomen angustum, nigrum, basi piceum. Alæ hyalinæ, nervis tenuibus pallidis, costali atro. Ad apicem nervi 2:di longitudinalis umbra obsoleta. Nervi transversii aperte approximati, horum ordinarius sat longe a margine distans, medius paullo post apicem auxiliaris brevis ductus. Segmentum nervi longitudinalis 4:ti secundum tertio circiter $2\frac{1}{2}$ brevius, at seg-

mentum costæ secundum tertio fere triplo longius. Costa nuda. Halteres albi. Pedes pallide flavi, antici fusciscentes, coxis pallidis.

11. *D. nigiventris*: flavo-testacea, epistomate pedibusque pallide flavis; abdomine nigro; alis cinereo-hyalinis, nervis transversis eximie approximalis, segmento nervi longitudinalis 4:ti secundo tertio triplo breviori. ♂♀. (Long. $\frac{2}{3}$ lin.).

Hab. in Smolandia ad Skärsjö rarissime; duo tantum individua lustravi.

♂♀. Priori paullo robustior, sed non longior, ferrugineo-flava, subopaca, setis ordinariis nigris. Antennæ parvæ, flavæ, seta plumata nigra. Epistoma infra oculos parum descendens, in medio subconvexum, totum pallide flavum, seta utrinque mystacina distincta nigra. Organa oris retracta flava. Genæ breves, albicantes. Oculi majusculi rotundi rufi. Thorax & scutellum immaculata. Abdomen ovatum subdepressum nigrum nitidum, ventre pallescente. Alæ hyalinæ, lenissime flavido-tinctæ, nervis subferrugineis. Nervii: 2:di longitudinalis proportionem brevis; transversii perspicue approximati, horum ordinarius longe a margine remotus, medius nonnihil pone apicem auxiliaris brevissimi ductus. Segmentum nervi longitudinalis 4:ti secundum tertio fere triplo brevius, at segmentum costæ secundum tertio vix $1\frac{1}{2}$ longius. Costa nuda. Halteres pallidi. Pedes toti pallide flavi. —

Obs. Caveas ne hanc confundas cum simili *Dros. melanogaster* Meig. seu *D. Fenestrarum* nobis infra n:o 21, quæ tamen nervis transversis magis remotis certe diversa.

12. *D. approximata*: flava, abdomine ferruginante; alis hyalinis, nervis transversis perspicue approximatis, segmento nervi longitudinalis 4:ti secundo tertio $2\frac{3}{4}$ breviori. ♀. (Long. $\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Svecia meridionali & media rarius; scilicet in Scania ad Lund semel a me inventa; in Smolandia a D. Ljungh capta.

♀. Similis *D. flavæ* (22), nervis transversis magis approximatis diversa. A priori, cui quoque similis, magnitudine paullo minore & abdomine saturate flavo, nec nigro, discrepat. Tota flavæ, parum nitida, epistomate pedibusque adhuc pallidioribus. Seta ordinariæ nigræ. Antennæ parvæ flavæ, seta pectinata nigra; superne radios 4—5 in exemplis haud bene conservatis numero. Seta mystacina nigra. Oculi mediocres l. majusculi rotundi, in mortua ferruginei. Abdomen oblongo-ovatum, saturate flavum l. testaceum, versus apicem dilute brunneum. Alæ hyalinæ, nervis pallidis ut in priori directis. Nervus vero 2:dus longitudinalis proportionem nonnihil longior, ita ut segmentum costæ 2:dum 3:tio fere duplo longius evadat. Halteres & pedes toti pallide flavi.

D. congesta: pallide flavæ; alis hyalinis, nervis transversis valde approximatis, segmento nervi longitudinalis 4:tio secundo tertio fere quadruplo breviori. ♂ (Long. $\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Ostrogothia, ubi ad Lärketorp specimen descriptum iuveni.

♂. Differt a priore, cui alias valde similis, abdomine flavo, nec dilute brunneo, & imprimis nervis transversis adhuc magis approximatis. Tota pallide flavæ, setis ordinariis nigris. Antennæ parvæ flavæ, seta, quantum in individuo vetusto videri possit, plumata. Seta utrinque mystacina distincta nigra. Oculi mediocres, rotundi, ferruginei. Alæ latiusculæ, nervis tenuibus haud pallidis. Nervi transversii evidenter approximati, horum ordinarius longissime a margine remotus, in disco alæ paullo ante medium insertus, medius nonnihil pone apicem auxiliaris ductus. Nervus 2:dus longitudinalis solito in hoc genere brevior, ita ut segmentum costæ 2:dum 3:tio tantum $1\frac{1}{2}$ longius eva-

dat. Costa nuda. Halteres & pedes toti pallide flavi. — Vix *Agromyza* speciei.

B. Alarum nervi transversi remoti aut subremoti, h. e. nervus transversus ordinarius aut in medio aut tantum paullo ante medium areæ ultimæ insertus, ita ut segmentum nervi longitudinalis 4:ti secundum tertio aut æque longum aut ad summum $1\frac{1}{2}$ brevius evadat.

α) thorace obscuro, h. e. cinerascente l. nigricante.

14. *D. glabra*: æneo-nigra, nitida; antennis luteis; pedibus flavis, femoribus fuscis; alis subhyalinis, nervis transversis modice remotis, segmento nervi longitudinalis 4:ti secundo tertio $1\frac{1}{2}$ breviori. ♂♀. (Long. $\frac{2}{3}$ fere 1 lin.).

Fall. Geomyz. 8. 12. ♂♀. Meig. Dipt. 6. 85. 10.

Hab. in graminosis & floribus per prata & pascua Sveciæ meridionalis & mediæ mense Julio passim vulgaris, in fenestris jam mense Aprili aliquoties etiam a me visa; scilicet in Scania ad Lund, Abusa, Esperöd &c., sat frequens; in Smolandia, D. D. *Ljungh* & *Boheman*; in Ostrogothia ad Gusum (*Wahlberg*) & Wadstena parce; in Gottlandia in insulis Stora Carlsön & Furillen, nec non ad Nähr minime rara; sed deinde versus septentrionem longius procedens non observata.

♂♀. Ovata robusta, colore corporis æneo nitido ab omnibus facillime dignota. Setæ ordinariæ adsunt nigrae. Caput latiusculum æneum nitidum, fronte antice summo margine plerumque flavido. Antennæ parvæ, luteæ, seta nigra pectinata, radiis 7—8 basi longis versus apicem sensim decrescentibus. Epistoma breve impressum, infra oculos minime descendens, seta utrinque mystacina mediocri & setulis oris parvis. Genæ brevissi-

mm. Proboscis crassa nigra. Oculi maximi rotundi, in viva ferruginei. Thorax, scutellum & ovatum abdomen obscure ænea nitidissima glabricula præter setas ordinarias. Alæ cinereo-hyalinæ, nervis pallescentibus. Nervi: longitudinales paralleli, horum 2:dus elongatus; transversus medius paullo ante apicem auxillaris mediocriter longi ductus (nota singularis). Segmentum costæ 2:dum 3:tio fere sextuplo longius, sed segmentum nervi 4:ti longitudinalis secundum tertio $1\frac{1}{2}$. $1\frac{1}{4}$ brevius. Costa basi tenuiter ciliata, spinula parva. Halteres flavo-albi. Pedes jam toti flavi l. lutei, jam femoribus præsertim posticis plus minus late nigricantibus aut brunneis.

15. *D. Graminum*: cinerea, subopaca, thoracis linea media fusca; epistomate albido; antennis, frontis antico pedibusque flavis; abdomine nigricante; alis hyalinis, nervis transversis modice remotis, segmento nervi longitudinalis 4:ti secundo tertio $1\frac{1}{2}$ breviori. ♂♀. (Long. $\frac{2}{3}$ vix 1 lin.).

Var. a. ♂♀. cinerea, thoracis linea media fusca; epistomate albido; antennis, fronte antice pedibusque flavis; abdomine nigricante; frequens; in copula.

Fall. Geomyz. 8. 11. var. a. ♂♀. — Meig. Dipt. 6. 86. 13. Macq. Buff. 2. 550. 9. Zett. Ins. Lapp. 777. 9. ♂♀.

Var. b. ♂♀. similis var. a., sed thoracis linea media fusca vix conspicienda.

D. sordida Zett. Ins. Lapp. 777. 7. ♂♀.

Var. c. ♂♀. similis quoque var. a., sed thorace paullo obscuriore.

D. flavipennis Zett. Ins. Lapp. 777. 8. ♂♀.

Hab. in graminosis, foliis fruticum, fenestris, &c., per prata, arva, pascua, silvas, &c., a mense Majo usque ad Octobrem, ubique vulgatissima; scilicet var. a. in Scania, Blekingia, Smolandia, Ostro- & Westrogothia, Gott-

landia (ad Küllej, Westö &c.) & Nericia, frequentissima; in Uplandja ad Holmiam, D. D. B. *Fries & Wahlberg*; in Dalecarlia ad Ruscgård; in Bottnia boreali ad Johannis Ro; in Lapponiis: Umensi ad Wilhelmina, & Tornensi ad Kengis, rarius; in Dania, D. *Stæger*. (E Finlandia a D. *Sahlberg* ut frequens incola communicata; & ad Neuenkirchen Germaniæ jam 15—20 Maji a D. *Dahlbom* sat copiose capta); var. b. in Lapponia Umensi ad Wilhelmina, & in Norwegia ad Dowre, parce lecta; var. c. in Scania ad Lund, & in Lapponia ad Wilhelmina minus frequenter observata.

♂♀. Statura angusta, tenera, parum nitida, thorace cinerascete lineola media tenui fusca, abdomine obscuriore, fronte antice, antennis pedibusque pallidis, epistomate albicante, alis immaculatis, nervis transversis nec longe remotis, nec approximatis, sed modice distantibus, facile dignoscitur hæc species, individuis passim abundans. Caput rotundatum opacum. Frons flava, vitta media lutea, vertice cinereo l. fusco, nigrosetoso. Antennæ mediocres, ovatæ, flavæ (in ♀ sæpe rufæ), seta pectinata nigra. Epistoma infra oculos vix descendens, albicans, seta utrinque mystacina nigra. Setulæ oris exiguæ. Instrumenta cibaria retracta flava. Genæ breves, albicantes. Oculi majusculi, rotundi, microscopice puberuli, ferruginei, in viva læte rufi. Thorax cinereus, opacus, lateribus setulosus, lineola media, scutellum cinereum etiam transeunte, brunnea. Vestigium lineolæ brunneæ utrinque lateralis quoque adest, sed plerumque parum perspicuum. In var. b. thorax fere immaculatus, & in var. c. totus magis obscurus, interdum fere nigricans. Abdomen oblongum nigricans aut nigro-brunneum, subnitens, ventre interdum pallido. Alæ cinereo-hyalinæ, nervis subpalescentibus ut in priori directis, at transverso medio apici (nec ante apicem) auxiliæ opposito. Segmentum costæ secundum 3:tio circiter quintuplo longius. Costa nuda, basi tenuissime

ciliata, spicula parva. Alæ cæto situ cinereo-subflavescent. Halteres & pedes toti pallidi, tarsorum apice sæpe dilute fusco. Femora antica subtus pilosula. — Variat interdum corpore livido l. rufescente; forte juvenilis.

Obs. *Dr. incana* Meig. Dipt. 6. 86. 14. ab hac parum abluere videtur. — *Dros. graminum* var. d. Fall. l. c. ad diversam speciem referenda, & sub nomine: *D. pallida* n:o 23 apud nos invenienda.

16. *D. griseola*: cinerea, subopaca, thoracis linea media fusca; capite obscuro, regione antennarum flava; antennis fuscis, basi rufescentibus; abdomine nigro; pedibus ferrugineis, femoribus nigricantibus; alis hyalinis, nervis transversis modice remotis, segmento nervi longitudinalis 4:ti secundo tertio $1\frac{1}{2}$ breviori. ♀. (Long. circiter $\frac{2}{3}$ lin.).

Hab. in alpibus Dalecarlicis forte rarissima, mihi non obvia, sed in specimine unico a Detectore D. Professore *Boheman* ad describendam communicata.

♀. Statura, magnitudo & color corporis omnino ut in præcedente, cui valde similis & affinis, sed antennis, fronte, epistomatis area media femoribusque obscurioribus distincta. Frons obscure cinerea, summo margine antico flavo. Antennæ obscuræ, basi rufescentes, seta peclinata. Epistoma nigricans, lateribus pallidis. Genæ pallidæ. Pedes flavo-ferruginei, coxis posterioribus & femoribus omnibus nigricantibus seu nigro-brunneis, geniculis posterioribus ferrugineis. Tarsi omnes apice fuscescentes. Thorax, abdomen, alæ & reliqua omnino ut in priori.

Obs. *Dros. fuscula* Fall. antennarum seta breviter plumata sub *Diastata costata* hujus operis p. 2539 n:o 4 quærenda.

β) thorace pallescente, h. e. rufo, testaceo aut flavo.

17. *D. funebris*: rufo-ferruginea, epistomate pedibusque pallidioribus; antennis oblongo-ovatis, versus apicem angustioribus; abdomine nigricante, aut incisuris tenuissime pallidis (♂), aut fasciis integris flavis (♀); alarum nervis transversis distincte remotis, segmento nervi longitudinalis 4:ti ultimo antecedente parum longiore. ♂♀. (Long. 1—1¼ lin.).

Mas: abdomen oblongum, nigricans, raro immaculatum, plerumque segmentorum præcipue 2, 3 & 4 margine apicali tenuissime albido, interdum etiam margine basali eorundem segmentorum anguste pallido, segmento 1:mo sæpe piceo l. rufescente;

Fem.: abdomen oblongo-ovatum, supra nigricans l. nigro-brunneum, segmentis basi fascia in anticis lata, in posticis angustiore, flava; in copula.

Fall. Geomyz. 5. 3. ♂♀. vera. — Meig. Dipt. 6. 82. 2. Zett. Ins. Lapp. 775. 1. ♂♀. *Musca* Fabr. Antl. 299. 76. — *Musca cellaris* ('antennis setariis, pilosa nigra, alis nervosis, oculis ferrugineis') Linn. Fn. Svec. n:o 1848, opinantibus *Meigen & Macqvart*. — *Dros. cellaris* Macq. Buff. 2. 549. 2. ♂♀. T. 22. f. 9. certe. — *Musca erythrophthalma* Panz. Fn. Germ. 17. f. 21. ♀. videtur.

Hab. in Fungis arboreis, Agaricis putridis (ubi ova deponunt feminæ), succo arborum sauciarum, fenestris, & primo vere in foliis Gageæ luteæ & Ranunculi Fica-

riæ, per totam Scandinaviam, in insulis lapponicis tantum exceptis, ab initio Aprilis usque ad finem Novembris, vulgaris, in copula quoque observata; scilicet in Scania, Smolandia, Ostro- & Westrogothia, Ölandia (ex. gr. ad Ottenby), Gottlandia (ad Garde), Uplandia, Bottnia, frequens; in Lapponiis: Umensi ad Tresunda & Lycksele non parce, Lulensi, D. *Andersson*, & Tornensi ad Öfver-Torneå, Turtola & Karesuando, rarius; in Norwegiæ litoralibus a me frustra quæsita; in Dania freq., D. *Stæger*. — Feminas in fenestris ipso mense brumali aliquando vidi.

♂♀. Colore corporis rufo-brunneo l. ferrugineo, nec flavo, a sequentibus primo obtutu dignoscitur. In hoc genere majuscula, robusta, subnitida, setis ordinariis nigris. Frons valde lata lutea. Antennæ incumbentes, flavæ, articulo ultimo oblongo sæpe fuscescente, versus apicem subangustato, seta versus apicem undique, sed basi tantum superne longe & distincto plumata; obscura. Epistoma infra oculos nonnihil descendens, latum, flavum, in medio obtuse carinatum, setis mystacinis utrinque paucis nigris. Genæ mediocres flavæ. Oculi mediocres rotundi, in viva obscure ferruginei. Thorax convexus puberulus & scutellum rufo-ferruginea. Abdomen nitidum, ut in diagnosi sexus constructum & pictum. Alæ abdomine longiores, amplæ, sordide hyalinæ, immaculatæ, nervis ferruginantibus. Nervi: longitudinales recti, 3 & 4 paralleli, horum 3:tius in apice desinens, 4:tus pone apicem cum costali conjunctus, 2:tus elongatus, auxiliaris simplex modice brevis; transversus distincte remoti, horum medius apici auxiliaris oppositus, ordinarius fere in medio l. mox ante medium aræ ultimæ insertus, ita ut segmentum nervi 4:ti longitudinalis ultimum 2:do parum l. paullo tantum longius evadat. Costa nuda; spinula minuta. Halteres albidii. Pedes toti cum coxis pallide flavi, subnudi, femoribus anticis subtus parce pilosis. — Variat thora-

ce obscure rufo. — Hæc species *Dros. virgineæ* Meig. valde accedere videtur.

Obs. Varietas *mas*: "corpore toto testaceo, ano solum nigro", Fall. l. c. in descriptione, ad speciem sequentem pertinet.

18. *D. confusa* flava, epistomate albicante, pedibus pallide flavis; antennis oblongo-ovalis, versus apicem angustioribus; abdomine rufo apice nigro (♂), aut fasciis interruptis (♀) nigricantibus; alarum nervis transversis in utroque sexu distincte remotis, segmento nervi longitudinalis 4:ti ultimo antecedente parum longiore. ♂♀. (Long. 1—1¼ lin.).

Stæg. in Krøy. Tidskr. 1. 1. p. 18. 2. ♂♀. — *Dros. fenestrarum* Meig. Dipt. 6. 83. 4. ♂♀. Macq. Buff. 2. 519. 4. ♂♀. *Drosoph. funebris* var. Fall. Geomyz. 5. 3. *mas* in descriptione.

Mas: abdomine flavo, ano fusco l. obscuro;

Fem.: abdomine flavo, fasciis nigris, anticis interruptis, posticis integris.

Hab. in Scandinavia meridionali rarius; mihi in foliis fruticum, & arborum truncis nuper abscissis, in Scania ad Esperöd Jul. Sept. aliquoties obvia; e Dania a D. Stæger in utroque sexu etiam communicata.

♂♀. Magnitudo, statura, formatio partium & directio nervorum in alis exacte ut in præcedente, cui igitur valde similis & affinis; sed colore thoracis constanter dilutiore, late flavo, nec ferrugineo l. rufo-brunneo, ut & abdomine in ♂ flavo apice tantum fusco, in ♀ pallido fasciis mediis interruptis anoque

nigris, distinguitur. Caput cum antennis longiusculis, seta distincte plumata, selis mystacinis & oculis omnino ut in priori. Thorax & scutellum etiam ut in illis, præter colorem, ut dictum, pallidiorem. Abdomen ovatum flavum l. rufo-flavum, in ♂ ano l. segmentis apicalibus pilosulis fuscis, in ♀ fasciis quatuor (quarum 3 anticis anguste interruptis, 4:ta integra) anoque nigris. Fasciæ vero hæc e margine segmentorum apicali saltem nigro formantur. In individuo unico femineo anum flavidum vix infuscatum vidi. Alæ, halteres & pedes plene ut in antecedente.

Obs. Hujus femine valde simile est specimen femineum, quod sub nomine: "*Dros. fasciata* Perris" (nec Meigeni eadem) e Sit Sever Gallis a D. *Leon Dufour* nuper obtinui, & ab Illo in *Annal. des Scienc. Natur. Paris 1839. p. 49. 14. T. 3. f. 85* descripta & delineata exstat; hæc vero corpore "griseo-rufo-tescente", nec pallidius flavo, & abdominis segmento etiam lino fascia nigra interrupta ornato, nec toto flavo subimmaculato, differe videtur. Nec talis in Scandinavia observata.

19. *D. Histrion*: flava, epistomate pallidiore; abdomine maculis geminis trigonis nigris; alarum nervis: longitudinalibus 3 & 4 versus apicem leniter convergentibus, transversis modice remotis, segmento nervi longitudinalis 4:ti ultimo antecedente circiter $1\frac{1}{2}$ longiore. (Long. circiter 1 lin.).

Meig. Dipt. 6. 8. T. 59. f. 4. Macq. Buff. 2. 550. 6.

Hab. in Svecia rarissime, testante Prof. *Wahlberg*, qui eam in Uplandia ad Holmiam in Haga-Park in succo e trunco Sorbi Aucupariæ cæsæ sudante verno tempore invenerit. A me neque capta, neque visa.

Auctoritate Cel. *Wahlberg* speciem ut Scandinaviæ incolam propono, descriptionem e *Meigen* l. c. præcipue hauriens. — E.

epistoma & frons antice pallide flava. Frons postice, antennæ & thorax nitidus, testacea. Abdomen pallide flavum, segmento 1:mo utrinque strigula nigra; in singulo segmentorum 2, 3 & 4 maculis duabus magnis approximalis trigonis nigris angulo acuto basin segmenti spectantibus & attingentibus. Anus niger. Venter flavus, incisuris brunneis. Alæ hyalinæ, lenissime brunnescentes, nervis 3 & 4 longitudinalibus non exacte parallelis, sed versus apicem paullulum convergentibus. Halteres albi. Pedes testacei. — Specimen in figura Meigeni masculum videtur delineatum.

Obs. *D. Leon Dufour* specimina utriusque sexus plura, quorum pupæ in Boleto mense Octob. captæ, e Sit Sever Galliæ mihi sub indicio: "*Dros. maculata* Leon Duf. *Annal. des Scienc. Natur. Paris 1839. p. 50. 15. T. 3. f. 91.*" communicavit, quæ huic (*D. Histrio*) in multis accedunt; sed magnitudine ($1\frac{1}{2}$ lin.) paullo majore, thoracis dorso dilutissime brunneo-bilineato, nec immaculato, scutello fascia transversa lata fusca certo situ perspicua, abdominis dorso segmento 1:mo immaculato, 2:do macula utrinque, 3:tio, 4:to & 5:to in singulo maculis tribus majusculis rotundatis, nigris, liberis (in segmento 3:tio transversim subconfluentibus), & 6:to minuto retracto subimmaculato, ut & alis hyalinis, nervis longitudinalibus 3 & 4 subparallelis, vix versus apicem convergentibus, abunde recedunt; Scandinaviæ Faunæ hactenus ignota.

20. *D. picta*: flavo-testacea, epistomate pedibusque pallidioribus; abdomine maculis trifariam dispositis brunneo-nigris; alarum nervis transversis modice remotis, segmento nervi longitudinalis 4:ti ultimo antecedente circiter $1\frac{1}{2}$ longiore. ♀. (Long. $\frac{3}{4}$ lin.).

Stæg. in litteris 5 Aug. 1843.

Hab. in Scandinavia meridionali rarissime, mihi numquam obvia, sed e Dania in specimine unico pro describendo mihi a D. *Stæger* mutuo communicata.

A priori, cui accedit, abdominis maculis nigricantibus trifariam, nec bifariam, dispositis, & nervis longitudinalibus 3 & 4 parallelis, nec versus apicem subconvergentibus, & a *Dr. maculata* (in observatione sub priori) magnitudine minore, colore corporis minus saturate flavo, &c., certe differt. — Frons lata fulvo-flava, opaca. Antennæ breves, oblongæ, testaceæ, seta longe & distincte plumata, nigra. Epistoma infra oculos haud descendens, latum pallidum, seta utrinque mysticina perspicua nigra. Proboscis testacea. Oculi mediocres l. majusculi rotundi rufi. Thorax testaceus opacus. Scutellum sordide testaceum. Abdomen ovatum nitidum ferrugineo-flavum, dorso linea media subinterrupta obscure brunnea, & præterea in singulo segmento maculis 2 majusculis difformibus ejusdem coloris. Hæ autem signaturæ minus regulares & in 1:mo & ultimo segmentis magis obsoletæ obveniunt. Incisuræ anticæ certo situ quoque tenuissime brunneæ apparent. Alæ sordide hyalinæ, nervis ferruginantibus, ut in *Dr. funebri* (17) directis, sed transversis magis appropinquantibus. Pedes toti pallide flavi immaculati.

II. D. Fenestrarum: rufo-flava, epistomate albicante, pedibus pallidis; abdomine in mare nigro, in femina rufo fasciis integris anoque nigris; alis hyalinis, nervis transversis modice remotis, segmento nervi longitudinalis 4:ti ultimo antecedente circiter $1\frac{1}{2}$ longiori. ♂♀. (Long. $\frac{3}{4}$ lin.).

Mas: angustior, abdomine toto nigro;

Fem.: abdomine nigro, a basi & ultra medium rufo-fasciato; in copula.

Fall. Geomyz. 6. 4. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 775. 2. ♂♀. (exclus. syn. Meigeni quod ad *Dr. confusum* nobis n:º

18 pertinet). — Stæg. in Krøyt. Tidskr. 1814. I. 1. p. 18.
 1. ♂♀. — *Dr. melanogaster* Meig. Dipt. 6. 85, 9. (sexu
 non determinato). ♂. — *Dr. virgineu* Meig. Dipt. 6. 84.
 6. (sexu non determinato). ♀.

Hab. in graminosis, foliis fruticum & herbarum, at
 præsertim in fenestris cubicolorum, per totam Scandina-
 viam, a medio Aprilis usque ad medium Octobris; vulgari-
 ris, in copula quoque sæpe deprehensa; larvæ in serra-
 gine in vasculo vitreo conservata aliquoties observatæ;
 occurrit in Scania ubique frequens; in Smolandia, D.
Ljungh; in Ostrogothia ad Lärketorp, Gusum, &c.; in
 Ölandia & Gottlandia, parce; in Uplandia ad Holmiam,
 D. *Wahlberg*; in Helsingia ad Storbyn parocciæ Färila
 & ad diversorium Kårböle; in Lapponiis: Umensi ad
 Lycksele, & Torneusi, rarius; in Daniæ Arctio Lappa &c.
 frequens, D. *Stæger*. (In pinetis ad Neuenkirchen & Eli-
 senheine prope Gryphiam Sept. 1811, D. *Dahlbom*).

♂♀. Per abdomen maris totum nigricans, seminae rufum fasciis
 dorsalibus integris anoque nigris, hæc species sine difficultate
 cognoscitur. — Similis & affinis *Dr. funebri* no 17, sed fe-
 re duplo minor angustior, antennis nonnihil brevioribus, mag-
 nis obtusis, colore corporis paullo lætiori, abdomine ♂ toto
 nigricante, ut & nervis transversis in utroque sexu minus lon-
 ge remotis, mox dignoscenda. Frons flava. Antennæ parvæ, ob-
 lique exsertæ, nec incumbentes, flavæ, seta distincte plumata
 nigra. Epistoma breve infra oculos non descendens, flavum al-
 bo-micans, seta mystacina obscura. Organa cibaria retracta
 flava. Genæ brevissimæ. Oculi majusculi rotundi microscopice
 puberuli, rufi, in viva miniati. Thorax rufo- l. ferrugineo-fla-
 vus, nitens. Scutellum concolor. Abdomen ut in diagnosi se-
 xuali, maris nempe nigricans nitens, seminae l. plerumque ni-
 gro-brunneum, nitidum segmentis basi late rufo-flavis, l. ob-

scure fuscum segmentis anticis basi anguste pallidis, ano semper nigro. Alæ sordide hyalinas, nervis paullo dilutioribus, ut in priori directis. Nervi transversis ordinarius sat longe a margine distans, medius apici auxiliaris oppositus. Costa nuda. Halteres albidii. Pedes pallide flavi immaculati.

Var. b. ♂. abdomine nigro, basi pallido.

Zett. Ins. Lapp. 776. 2. var. b. ♂. — *Dros. nitidiventris* Macq. Bull. 2. 551. 12. ♂. Meig. Dipt. 7. 377. 22. ♂. (e descriptione Macqvarti transcripta).

Hab. cum var. a. passim.

Obs. In Scania ad Lund (in Paradislyckan) die 4 Oct. individuum unicum femineum forte juvenile inveni: abdomine toto rufo immaculato; & ad Esperöd d. 12 Aug. 2 specimina etiam feminea deprehendi: abdomine toto nigricante; de cetero varietati a. simillima & vix ad aliam speciem referenda.

22. *D. flava*: pallide flava, pedibus dilutioribus, epistomate albicante; alarum nervis transversis distincte remotis, segmento nervi longitudinalis 4:ti ultimo antecedente $1\frac{1}{4}$ longiori. ♂♀. (Long. vix $\frac{3}{4}$ lin.).

Fall. Geomyz. 7. 10. ♂♀. Meig. Dipt. 6. 88. 20 (e descriptione Falleni transcripta).

Hab. in graminosis locis paludosis per prata & silvas Scandinaviæ meridionalis & mediæ a fine Julii usque ad initium Septembris minus frequenter observata; nempe in Scania ad Lund, Abusa, utrumque Esperöd (alterum in parocia Tranås, alterum in paroc. Mellby), rarius; in Westrogothia ad Gothoburgum, & in Uplandia ad Holmiam, Prof. *Wahlberg*; e Dania a Dom. *Stæger*

mas in unico exemplo communicatus. (E Finlandia a Prof. Sahlberg etiam olim missa).

♂♀. Colore totius corporis in utroque sexu flavo immaculato, a prioribus dignota. Parva, parum robusta, subopaca. Setæ ordinariæ nigræ. Frons lata flava. Antennæ parvæ, oblique exsertæ (non incumbentes), flavæ, articulo ultimo ovato, seta basi pectinata, versus apicem undique plumata, radiis longiusculis nigris, non densis. Epistoma infra oculos non longe descendens, biimpressum, albo-micans, seta mystacina non valida, nigra. Genæ longiusculæ albidæ. Oculi minusculi rotundi rufoferruginei. Thorax flavus, dorso vestigio lineolæ mediæ brunneæ, sed valde obsoletæ & parum conspiciendæ. Abdomen flavum, appendiculo supra anum sæpe fusco. Alæ subhyalinæ irisantes, nervis tenuibus flavis ut in præcedente directis, sed transversis forte nonnihil magis distantibus, ita ut segmentum nervi longitudinalis 4:ti ultimum antecedens longitudine parum ultra $1\frac{1}{4}$ superet. Halteres albidii. Pedes simplices, toti flavo-albidi, subaudi, femoribus anticis subtus ut solito parce pilosis.

23. *D. pallida*: pallide flava, pedibus dilutioribus, epistomate albicante; thoracis dorso flavo-canescente lineola media dilute brunnea obsoleta; alarum nervis transversis remotis, segmento nervi longitudinalis 4:ti ultimo antecedente $1\frac{1}{4}$ longiori. ♂. (Long. $\frac{1}{2}$ lin.).

Dros. graminum var. d. Fall. Geomyz. 8. 11.

Hab. in graminosis per litus maris Balthici ad Esperöd Scaniæ mense Julio in 5 speciminibus a me capta.

♂. Inter minimas hujus generis. Similis priori, sed magnitudine paullo minori & thoracis dorso leniter canescente, nec pure flavo, differt. *Dr. Graminum* (15) quoque valde affinis,

sed statura gracilliore, thorace flavo cano-micante, ut & abdomine pallido, nec nigricante, specificè recedere videtur. Tandem *Dr. approximata* (12) & *congesta* (13) colore corporis flavo & parvitudine accedit, nervis vero transversis aperte magis remotis ab illis vere diversa. — Parum nitida. Frons lata pallida albido-micans. Epistoma infra oculos vix descendens, albidum, in medio longitudinaliter carinatum, seta mystacina parva nigra. Proboscis flava. Genæ breves albidæ. Oculi mediocres rotundi rufo-ferruginei. Thorax flavus, disco dorsali præsertim antico in individuis bene conservatis cano-micante, lineola media dilute brunnea l. ferruginea plerumque parum observanda. Abdomen flavum, ano interdum fusco. Alæ subhyalinæ, nervis tenuibus flavis, ut in priori directis. Halteres albi. Pedes flavo-albidi immaculati, simplices, nudiusculi, femoribus anticis subtus parce pilosulis.

184. ASTEIA Meig.

Corpus minutum, ovato-oblongum, nitidum, glabriculum, setis ordinariis in vertice, thoracis lateribus scutellique margine vestitum. Antennæ flexæ, breves, articulis: I:mo minutissimo, ultimo rotundato, compresso, basi seta dorsali vage & parce plumata, plumis remotis. Frons latissima, antice non prominula. Epistoma latum, perpendiculare, infra oculos parum descendens, margine antico integro, seta mystacina utrinque unica parva (*). Genæ breves. Oculi mediocres rotundi nudi. Abdomen oblongo-ovatum, segmentis 5 distinctis (**).

*) a Clar. Meigen epistoma "nudum" describitur.

**) abdominis annulos 5 distinctos numero, sed forte adsunt 6, licet ultimus minutus retractus.

Alæ haud latæ, sed abdomine multo longiores, parallelæ, rectæ, hyalinæ immaculatæ. Nervi: auxiliaris brevissimus; longitudinales: 2:us etiam valde brevis, mox pone apicem auxiliaris in costa desinens, 3:tus mox ante, & 4:tus leniter curvatus mox pone apicem alæ excurrentes, horum 4:tus cum costali conjunctus, 5:tus fere ad marginem interiorem extensus, 6:tus nullus; transversi: ordinarius nullus, medius ad basin alæ retractus, apici auxiliaris oppositus. Costa nuda, microscopice tantum ciliata; spinula nulla; margo interior subtilissime ciliatus. Pedes simplices, nudi, inermes. *Color* e parte ferrugineus l. niger. *Motus* - - -? *Habitatio* in graminosis & floribus. *Differentia sexus; mas:* ano rotundato subclavato; *femina:* ano acuto. — Similis *Drosophilæ*, sed nervis longitudinali 2:do brevissimo, transverso ordinario omnino deficiente, & ab hac & ab aliis hujus Familie facillime distincta. — *Typus generis: A. concinna.*

1. *A. concinna:* flava, epistomatis margine antico atro-bipunctato; verticis maculis thoracisque dorso nigris. ♂♀. (Long. $\frac{1}{2}$ — $\frac{3}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 6. 90. 2. ♂. Macq. Bull. 2. 621. 2. ♂. T. 23. f. 20 (frons & epistoma nimis prominentia, sed antennarum seta plumata & directio nervorum in alis exacte delineata).

Hab. in Scandinavia meridionali rarissime; e Dania in litore maris locis arenosis a D. Støger ♀ capta mihi que communicata. (Plura exempla mascula ad Hamburgum d. 4 Jul. 1838 a D. Doct. Dahlbom collecta quoque obtinui).

♂♀. Tenera. Frons flava. Vertex flavus, lineolis 2 angustis & puncto medio (loco ocellorum) nigricantibus. Antennæ flavæ, articulo ultimo rotundato-ovato, seta parcissime plumata nigra.

Seta sub microscopio composito visa rachidem leniter flexuosam pilumulis 1. radiis 6-9 alternantibus ornata representat. Epistoma pallide flavum, certo sito albido-micans, margine apicali utriusque in regione setæ mystacinæ puncto parvo atro. Instrumenta cibaria retracta flava. Genæ breves albicantes. Oculi mediocres, in mortua obscure ferruginei. Thorax flavus, dorso toto nigro nitido, antice in masculis lineolis 2 approximatis pallidis. Scutellum flavum, basi macula nigricante. Abdomen: in ♂ breviusculum angustum subcylindricum stramineum, supra in medio leniter fuscum, ano rotundato pallido; in ♀ oblongum angustum apice acutum, totum rufo-flavum. Alæ abdomine duplo longiores, haud latæ, sordide hyalina-iridicolas. Nervi tenues pallescentes ut in diagnosi generis indicatum directi. Nervi longitudinales 3 & 4 non exactissime paralleli, sed versus apicem lenissime convergentes. Alæ basi subangustatæ, alula nulla. - Pedes toti pallide flavi, nudi, femoribus anticis subtus tenuissime pilosulis. Tarsorum articulus ultimus obscurus.

Hab. Cf. *Meigen* tantum unicum individuum masculinum hujus speciei in gramine invenit.

2. *A. amoena*: flava, epistomate inferne argenteo-micante; fronte thoracisque dorso nigris; abdomine rotundato, rufo, nigro-maculato. ♂♀. (Long. $\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 6. 89. 1. ♂♀. T. 59. f. 7. ♀ (antennarum seta radiis tantum 3 supernis prave delineata). *Macq.* Buff. 2. 620. 1. ♂♀.

Hab. in Scandinavia meridionali & media mensibus Jun.—Augusto, certe rara; nempe in Ostrogothia ad Häradshammar initio Junii 1812 a D. *Stenhammar*, & ad Gusum, teste D. *Wahlberg*; in Uplandia ad Holmiam, affirmante Eodem; mihi non obvia, sed ex Hafnia Dano-

rum ante plures annos a D. *Stæger* communicata, hodie in collectione mea deperdita.

♂. "Frons nigra, antice anguste pallida. Antennæ parvæ, ferrugineo-flavæ, articulo 1:mo minutissimo, ultimo compresso, suborbiculato. Epistoma pallide flavum, margine oris argenteo. Oculi virides, lineis 2 purpureis. Thorax rufo-flavus nitidus, dorso nigro postice macula laterali flava. Pectus punctis 2 nitidis nigris. Scutellum rufo-flavum. Abdomen ovatum, rufo-flavum, linea dorsali angusta abbreviata nigra. Incisuræ etiam tenuiter nigricantes per lineolam nigram incompletam ad latera subconfluentes. In segmento 5:to utrinque punctum album. Alæ pure hyalinæ, abdomine multo longiores. Nervi longitudinales: 1:mus (nobis 2:dus) brevissimus; 2:dus (3:tius nob.) rectus ad apicem alæ extensus; 3:tius (4:tus nob.) leniter curvatus mox pone apicem alæ excurrens; 4:tus (5:tus nob.) ad medium marginis interioris ductus; nervi transversi: medius apici auxiliaris oppositus; ordinarius deest. Halteres flavi (capitulo sæpe nigro-brunneo). Pedes rufo-flavi."

♀. "Epistoma album, in sinu oris subrufo-flavum. Frons tota nigra, nigredine paullo infra antennas descendente. Abdomen fere globosum, rufo-flavum, basi punctis 5 nigris. Incisuræ segmentorum 2 & 3 anguste nigræ, nigredine ad latera nonnihil dilatata, sed non usque ad summum marginem lateralem extensa. Oviductus brevis niger. Reliqua omnia ut in mare".

Obs. Clar. *Meigen* hoc insectum in floribus *Heraclei* legit.

3. *A. elegantula*: flavo-ferruginea, epistomatis margine apicali argenteo; fronte thoraceque fusco-lineatis; abdomine ovato-oblongo, nigro-punctato. ♂♀. (Long. circiter $\frac{2}{3}$ lin.).

Hab. in Westrogothia, ubi a D. Prof. *Boheman* 1831 detecta mihiq̄e benigne communicata.

♂♀. Affinis & similis priori, sed fronte thoracisque dorso ferrugineis fusco-lineatis, nec totis nigris, &c., distincta. Tota flavo-ferruginea, nitida glabra, setulis ordinariis nigris. Frons lineolis 2 fuscis obsolete. Antennæ mediocres flavæ, articulo ultimo rotundato-ovato, seta pauci-plumata nigra, sub microscopio visa omnino ut in *A. concinna* constructa; radios nempe 6—9 alternantes numero. Epistoma infra oculos haud descendens, toto margine apicali antico argenteo, superne lineola transversa nigra terminato, seta mystacina parva. Proboscis testacea. Genæ breves ferrugineæ. Oculi mediocres rotundi, in mortua obscure ferruginei. Thorax ferrugineo-flavus, dorso vittis subquatuor abbreviatis fuscis obsolete. Scutellum flavum immaculatum. Abdomen, in ♀ oblongum, apice acutum, totum pallidum, punctis pluribus atris, plerisque in lineas tres transversas dispositis; in ♂ ovatum, signaturis atris, ita confluentibus, ut fere totum dorsum nigrum evadat, relicto ano obtuso l. rotundato pallido. Alæ longæ subangustatæ hyalinæ, nervis tenuibus pallidis, omnino ut in *Dr. concinna* directis. Halteres flavi, clava supra fusca. Pedes graciles, nudi, toti pallide navi.

Obs. Descriptio supra allata secundum specimen masculum præcipue confecta fuit. Femina, hodie mihi deperdita, in collectione non diutius adest, unde adumbrationem feminæ secundum annotationes hujus sexus olim factas tantum dare potui.

185. STEGANA Meig.

Corpus parvum, ovato-oblongum, nitidulum, glabriculum, setis ordinariis in vertice, thoracis lateribus scutellique margine vestitum. Antennæ incumbentes, breviusculæ, articulo 1:mo brevissimo, ultimo ovato-oblongo compresso apice obtuso, basi

seta dorsali undique longe plumata. Frons modice lata, non prominula, nuda, orbitis oculorum posticis verticeque ut in congeneribus setosis. Ocelli verticis 3 approximati. Epistoma infra oculos leniter descendens, leniter bi-impressum, latum, margine antico integro, seta mystacina utrinque unica conspicua. Setulae laterales oris plures valde exiguae. Apertura oris ampla. Haustellum geniculatum, proboscide crassa puberula. Palpi oblongiusculi, dilatati seu obtuse triangulares, compressi. Praelabrum subprominulum. Genae modice longae. Oculi magni, perpendiculariter rotundato-oblongi, nudi. Thorax oblongus, ad latera vestigio suturae transversae. Scutellum majusculum, planum, margine 4-setosum. Abdomen oblongum, segmentis 6 subaeque longis, ultimum parvum. Alae abdomine longiores, latiusculae, incurvae, deflexae, fuscedine tinctae. Nervi longitudinales: auxiliaris brevis (circiter 4. tam costae partem attingens), 2:us elongatus rectus, 3:ius rectus mox ante, & 4:us leniter incurvatus mox pone apicem alae excurrentes (hinc 3 & 4 versus apicem lenissime convergentes ut in *Asteia*), horum 4:us cum costali conjunctus, 5:us ad marginem interiorem alae extensus, basalis ad marginem non continuatus; transversi modice distantes, perpendiculares recti, horum medius apici auxiliaris oppositus, ordinarius paullo ante medium areae ultimae insertus, a margine modice remotus. Segmentum costae 2:um 3:io duplo longius, at segmentum nervi longitudinalis 4:ti secundum ultimo saltem $1\frac{1}{3}$ brevius. Costa nuda, basi breviter setulosa. Pedes simplices inermes, puberuli, femoribus anticis subtus pilosulis. Color niger aut ferrugineus. Motu sat agilis. Volatus brevis. Reptatus celer. Habitatio in foliis. Metamorphosis ignota. Differentia sexus; mas: ano obtuso; femina: ano acuto. Typus generis: *St. nigra*.

1. *S. hypoleuca*: fusco-ferruginea, subtus albicans; capite flavo-alboque maculato; abdomine nigro; pedibus flavicantibus; alis fuliginosis. ♂♀. (Long. ♂ $1\frac{1}{4}$, ♀ 2 lin.).

Mas: minor, "fuscus, subtus albus, thorace ferruginoso, pedibus flavo-albis" Meig.;

Fem. duplo maior, thoracis dorso ferrugineo, femoribus posterioribus a medio ad apicem obscure brunneis.

Meig. Dipt. 6. 80. 2. ♂♀. Macq. Buff. 2. 551. 2. Zeit. Ins. Lapp. 775. 1. ♀. var.

Hab. in Scandinavia valde rara; in Ostrogothia ad Gusum, testante Prof. *Wahlberg*; in Lapponia Umensi ad Lycksele in Pino resinosa d. 19 Jun. 1832 unicum individuum femineum inveni; in Dania ad Hafniam, D. *Westermann & Støger*; ad Strandmølle Selandiæ ♀ etiam a D. *Drewsen* capta mecumque communicata. (Duo præterea exempla exotica in museo meo adsunt).

♂ (qualis ad Kiliam occurrat): frons & thoracis dorsum ferruginosa, nitida. Epistoma, corpus subtus & pedes flavido-alba. Abdomen nigro-brunneum. Alæ fuliginosæ, ad costam saturatiores. Halteres albi.

♀ (qualis in Dania obvia): frons lata rufa, nitida, antice macula gemina fusca sæpe obsoleta, postice setis nigris. Antennæ oblongæ fusco-rufæ, basi superne breviter setulosæ, articuli ultimi seta pallida distincte plumata, plumis fuscis. Epistoma flavido-album, lineis 2 transversis nigris, una sub antennis, altera mox ante marginem apicalem. Seta mystacina & setulæ oris laterales nigrae. Instrumenta cibaria flava. Genæ albidae. Oculi in mortua fusco-brunnei, in viva rufobrunnei, lineis 2 transversis purpureis. Thorax supra rufobrunneus nitidus subtilissime punctulatus nigro-puberulus, vittis 3 dilute brunneis plerumque parum conspicuis; subtus albidus, vitta pectorali (sub thoracis margine laterali) a capite ad abdomen ducta sat lata determinata atra. Scutellum magnum, rufobrunneum, maculis duabus brunneis obsoletis. Abdomen oblongum nitidulum, nigrum & nigro-puberulum; apice sensim acuminatum. Alæ latæ, flexæ, fuscæ, ad costam saturatius fu-

liginosæ. Nervus longitudinalis 5:tus infra transversum ordinarium ad marginem interiorem curvatim flexus, nec recte excurrent. Halteres pallidi. Pedes cum coxis albi, posteriorum femoribus a medio ad apicem, tibiisque basi late, nigris.

Obs. Specimen femineum Lapponicum a nuper descriptis Danicis discrepat: magnitudine paullo minore (circiter $1\frac{3}{4}$ lin. long.), frontis vittis 2 longitudinalibus fuscis, nec solum maculis anticis 2 obscuris, thoracis vittis 3 dorsalibus nigro-brunneis ita confluentibus, ut fere totum dorsum obscurum evadat, relicto limbo antico & laterali inæqualiter flavo, scutello supra toto nigricante, alis sordide hyalinis, ad costam tantum fuscatis, ut & femorum tibiærumque posteriorum, nigredine multo dilutiore. Cetera omnia exacte quadrant. Vix specie distincta.

2. *S. nigra*: nigra, capite lutescente; antennis pedibusque flavis, femoribus posterioribus obscuris; alis fuliginosis. ♂♀. (Long. 1— $1\frac{1}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 6. 79. 1. T. 58. f. 24 & 25. Macq. Buff. 2. 551. 1. T. 22. f. 10. — *Drosophila curvipennis* Fall. Geomyz. 4. 1. ♂♀.

Hab. in foliis fruticum præsertim Coryli Avellanæ, per hortos, prata silvatica, nemora &c., Scandinaviæ meridionalis & mediæ passim, in copula etiam deprehensa; scilicet in Scania ad Fogelsång prope Lund, Esperöd &c.; in Smolandia, museum *Ljunghii*; in Ostrogothia ad Gussum, Lärketorp, Egebylund, Rismarken prope Wadstena, Medhamra &c., sat frequens; in Westrogothia, beat. *Dalman*; in Ölandia; in Gottlandia ex. gr. ad Nähr, Gotthem, Thorsborg, Westerby, Fardhem, Öja &c., non parce; in Helsingia ad Storbyn in paroecia Färila rarissime, sed supra hanc provinciam a me frustra quæsitæ; in

Norwegia in Christianiam, D. *Moe*, ad Thynas Vardalijæ semel, D. *Dahlbom*; in Dania, D. *Stæger*. (E Finlandia a Prof. *Sahlberg* missa).

♂♂. Priori similis, sed magnitudine duplo minore, antennarum seta plumata albida, nec obscura, epistomate sordide albicante impicto, nec lineis transversis nigris ornato, palpis nigris, thorace & supra & subtus nigro, ut & femoribus posterioribus fere totis obscuris, præcipue dignota. Frons modice & æque lata, lutea, vertice fuscescente, puncto ocellorum obscuro. Antennæ flavæ, seta distincte plumata albida. Epistoma sordide albidum, seta mystacina parva nigra. Palpi nigri, basi flavicantes. Proboscis testacea. Genæ albicantes. Oculi magni, oblongi. Thorax crassiusculus, niger nitidus nigro-puberulus, setis lateralibus distinctis nigris. Scutellum nigrum. Abdomen thorace nonnihil angustius, nigrum nitidum nigro-puberulum. Alæ latæ deflexæ fuliginosæ, ad marginem interiorem indeterminate fusco-hyalinæ. Nervi ut in priori directi, sed nervus longitudinalis 5:tus infra ordinarium minus curvatim flexus. Forte etiam nervi transversi nonnihil magis approximati. Halteres albidii. Pedes cum coxis flavido-albidi, posteriorum femoribus fuscis, basi pallescentibus. Tibiæ posticæ etiam basi anguste fusæ.

Variat (in specimine Helsingico) femoribus anticis apice, fronteque fere tota, nigris. — Variat etiam forte juvenilis pleuris pallescentibus l. rufescentibus, vitta pectorali semper atra.